

Q.N.
386
10.

(X 458 2558)

CAROLUS MAGNUS
IMPERATOR ROMANUS
Discursu Historico-Po-

litico exhibitus,

Quem

A^verente Supremo Numine,

Consentiente ac permittente Amplissima Facultate
Philosophicâ Celeberrimæ Academiæ Salanæ,

P R A E S I D E

V I R O

Excellentissimo, Amplissimo ac Præ-Clarissimo

DN. M. JOH. CHRISTFRIDO
SAGITTARIO, Poëseos Histo-

riarumque Professore Publico famigeratissimo,
p. t. Facultatis Decano Spectatissimo, Fau-
tore magno, Præceptore debito
cultu jugiter observando,

Die Maii,

Publicæ censuræ, placido examini submitte

M. H E I N R I C U S S C H U L T E T U S

Sedinensis Pommeranus, Autor - Resp.

7 E N Æ

Excudebat CHRISTIANUS LAURENTIUS
KEMFFIUS.

ANNO M. DC. L.

BIBLIOTHECA
MONACA VIANA





V I R O

GENEROSO AC MAGNIFICO

DN. JOHANNI NICQDEMI

ESSENSENZNDM

Sæ Ræ Mtis SVECIAE VICE PRÆ-

SIDI ET DIRECTORI COLLEGII STATUS

PER POMERANIAM, IN EKA, BOO,

ET SANDERSHAGEN HEREDI-
TARIO,

MOECENATI AC PATRONO SUO
MAGNO

Hos Academicos fructus

*submissa devotione
consecrat*

M. Henricus Schultetus, Autor
& Respondens.

Σὺν Θεῷ.

Historiam aggredior Carolinam, casibus opimam, præliis atrocem, seditionibus discordem, publicis mutationibus gravem, translationibus Regnorum & imperiorum amplam, superstitionibus ac vitiis fœcundam, nec virtutibus sterilem, observationibus civilis prudentiæ feracissimam; Cujus historiæ nec dignitatem, nec varietatem, nec gravitatem me scribendo exequare posse ultro fateor. Si quidem si id mihi præsumerem, arrogans, si sperarem, vanus essem; detestor autem animo vanam arrogantiam. Historiæ jucunditas persuasit, utilitas permovit, ardens exercendi amor ea, quæ sequentes pagellæ exhibebunt scribere iussit. Age divinâ annuente gratia manum ad tabulam,

Membrum I.

De Regia potestate à familia Merovingorum ad familiam Carolinam per Majores Caroli Magni translata.

I.

Iam Francica gens toti orbi tremenda videbatur, cum Regiam Potestatem, quam Proavus Caroli Magni sub Majoris domus, Avus sub Principis titulo possederant, Pater & re & nomine consecutus eam suæ familiæ assereret, & sic Merovingi in Childerico III, cadentes, Carolovingi in Pipino surgentes in commune theatrum mundi producerentur. Quæ notatu digna paululum altius repetitis rebus exponemus.

§. II. Francica Gens nobis dicenda erit, quæ quo altius eminuit, eò invidiosius ejus originem Viri in historicis ver-

A 2

satis-

satissimus Bodinus Gallis vindicare allaborat in *method. histor.*
c. 9. Sed aliud historiae monumenta docebunt: Germania
enim Francis & nomen & originem dedit, & eorum tanquam
indigenarum victoriis sibi restituta de Francico nomine jure
gloriatur. Francos siquidem ex locis Germaniae circa Hercy-
niam sylvam fitis quam primum potuerunt excusso Romano-
rum jugo trans Rhenum migrasse, & accepta Francorum, id est
liberorum hominum appellatione Romanos de Galliae posses-
sione deturbasse, ultro his pene verbis fatetur ipse Bodinus *loc.*
cit. p. m. 508. Unde cum *B. Rhenanus l. 1. Rerum Germ. p. m. 36.* &
Cluv. in Germ. Antiq. l. 3. c. 10. p. 83. se in Charta provinciali plane
veteri Bructerorum, Chamavorum, Ansivariorum, Cattorum
& aliorum populorum nomina ad Rheni ripam invenisse &
in eadem ripa magnis litteris nomen, *FRANCIA*, ascriptum
legisse testentur, eos populos plerosq; inter Rhenum Albimq;
communi foedere confociatos, communi nomine Francorum
suscepto tantis victoriis, quarum memoriam grato adhuc stu-
pore posteritas repetit, eminuisse credimus.

§. III. Dictos autem populos Germanos fuisse in Ger-
mania natos, nemo nostrum confidenter asserere dubitabit.
Quis enim Germanos, antequam Galli Rhenum transgressi
circa Hercyniam sylvam colonias duxerint, nullos fuisse, hos
vacuas sedes ingressos eorum exstitisse conditores, quod *Bodi-*
nus c. 9. Methodi histor. supra citato evincere conatur, credat. Ipse
namque I. Caesar & Tacitus à Bodino ad assertionis suae verita-
tem demonstrandam producti contra eum testimonia satis
clara perhibere videntur. I. Caesar dictam Gallorum migra-
tionem, quam Tarquinio Romae regnante ex Celtica tertia
Galliae comatae parte Sigovelo duce factam *ex Liv. hist. l. 5. c. 34.*
p. m. 207. constat, descripturus in *Comm. de bel. Gall. l. 6. p. m. 172.*
his verbis, quae & *Bodinus l. d. p. m. 508.* agnoscit, orditur: *Fuit*
antea tempus, quum Germanos Galli virtute superarent, & ultrò
bella inferrent ac propter hominum multitudinem, agrig, inopiam,
trans Rhenum colonias mitterent; & postea his subjungit:
Nunc — qui (Galli) paulatim assuefacti superari multisq; victi pra-
liis, ne se quidem ipsi cum illis virtute comparant. Haec animad-
verte

verte & considera, nec Germanos tempore migrationis dictæ nullos fuisse dices, quos virtute à Gallis superatos audis; neq; ab iis, quibus sese Galli virtute inferiores tempore I. Cæsaris agnoverunt, hos posterioribus temporibus ex occupatis circa Hercyniam sylvam sedibus expulsos, tandem in ipsa patria victos fuisse miraberis. Multo minus *Bodinus p. 507. Taciti verba, quibus c. 16. lib. de mor. Germ. nullas Germanorum populis urbes habitari notum esse dicit*: quibus c. 2. libri *Germaniam in formem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuq; asserit*, citans ex iis Germanos nullos fuisse tempore Gallicanæ migrationis obtinebit. Urbes & junctas sedes Germanos incoluisse negat Historicis; vicos eosdem locasse subjicit, tristem terram Germaniam, aspectu esse asserit, quam nemo peteret nisi si patria sit. Sane si nulli fuissent Germani nullos vicos locassent, nemini Germania fuisset patria. Certè Tacitus, cui à I. Cæsare, memorata migratio Gallorum haud ignota fuit, ut ex *c. 28. lib. de M. G. videre licet ortum Germanorum à Gallis, si verus, non ignorasset*, nec Germanos *c. 2. indigenas minimèq; aliarum gentium adventibus & hospitibus mixtos credidisset*; quod nec absurdum ne impium, ut à *Bodino l. c. proclamatur*, sed verissimum esse nobi persuasum habemus.

§. IV. Francos proinde Germanos in Germania nato dicimus. Nam Germanos, latam bello gentem; victorias contra Romanos commemorans Tacitus, occasione discordiæ Romanæ & civilium armorum Gallias affectasse, ac rursus pulsos inde proximis temporibus triumphatos magis, quam victos *c. 37. de M. G. testatur*. Hos igitur victores sub nomine Francico & Germaniæ & Galliæ imperitasse putamus. Confirmant nostram sententiam linguæ Germanicæ vestigia, in Lege Salica Francorum à *Comite Nuenario in Narr. de Orig. Franc. vit. Car. M. ab Eginh. scriptæ præmissa* deprehensa; & in libro *Evangeliorum Francicè versò*; & in *Oratione Dominica & Symbolo Apostolico Francica lingua expresso animadversa*; in quibus *magnum est Originis argumentum*, ut ipse fatetur *Bodinus loc. c. p. 509.* Lex Salica licet à Francis, cum suæ linguæ voces vel literis exprimere nescirent vel Characteribus propriis destituerentur,

stico more agente adornata erat; ut eam describunt *Gemlacensis ad A. 662. Eginb. in princ. vit. Carol.* Regum inertiam concommittabatur eorum apud subditos contemptus è quo plurima fiunt *eversiones*, teste *Arist. 5. Pol. 10.* Optimatum potentia originem dabat civilibus motibus, quibus totum regnum Francicum concutiebatur perspicuo exemplo, *Principatum prouorem esse in rebelliones & civilia bella, omni Tyrannide pejus malum, via ubi Optimatibus potentia & opum suarum consciis in Regem contumacibus esse licet*, ut notat *Forst. in not. ad l. 4. Tac. p. 381.*

§. VII. Jam Childericus Clodovæi II. filius à Bodilone nobili, quem servili verberare cædi iusserat, cum prægnante uxore incautus venationique intentus interfectus erat, & Frater Theodericus, qui jam aliquot annos vix regio nomine ab Ebroino Majore domus in fratris natu maximi Dagoberti locum insignitus una cum suo præfecto ob exercitam crudelitatem depositus & ad monasticam custodiam relegatus fuerat, ex monasterio extractus pristinam dignitatem recuperaverat; Cum Ebroinus monasterio elapsus infestis armis contra Regem insurgeret, ejus Ecclesiæque gazas diriperet, sibi pristinam dignitatem assereret, perfidiosèque Leudesio, qui major domus Franciæ consilio Leodegarii Episcopi Theodorico in Regem recepto constitutus erat, interfecto Theodorico Rege reconciliatus crudelissimâ sævitiâ omnia desidiosè permittente Rege totum Regnum turbaret. His exortis motibus Pipinus Caroli M. Proavus ex Regum Francorum (ut tabula stemmatis Carolini ex *Aventini Chron. Boj. à Reus. in Op. Bas. Genethl. in princ. l. 2. & Admodum Reverenda D. Micraelii Fautoris filiali ob servantia colendi Excellentia in System. Histor. Polit. l. 2. f. 5. p. m. 738, 739.* suspensa inspicientem docebit) prosapia primus in sua familia regiæ potestatis prima fundamenta jecit. Quamvis enim infeliciter cum socio Martinio contra Ebroinum pugnaverat, victusque suæ salutis fugâ consuluerat, eoque ab Erminfredo perempto cum Warathonis Ebroini successoris filio Gislemaro, qui pessimo facinore Patrem ab honore præfecturæ dejecerat congressus æqua clade dimicaverat: attamen post Gislemari Patrisque ejus fata à Francis turbidè dissentientibus;

bus, Berengarii que novi Majoris domus principatu averfis & impatientibus incitatus contra Regem, qui restitutionem bonorum ex Neustria Ebroini crudelitate expulsorum, submissa ad Regem legatione quæsiverant, denegaret, qf. eorum Vindex ex Austrasia exurgens infesta movit arma publicique prælii victor evasit, & Berengario suorum insidiis sublato sibi prudenter reservatâ regiâ potestate, quam sibi suisque posteris armis paraverat, ut ambitionis declinaret invidiam, pacto fœdere in Regem conferebat purpuram, solium, sceptrum; Ejusque filiis Clodovæo & Childerico & nepoti Dagoberto Regium concedebat nomen, ipse titulo Majoris domus totius Franciæ contentus suo arbitrio omnia regebat. Ita namque *umbra relinquenda est & simulachrum ejus quod adimitur.* *Jus imperii valeat; inania transmittantur,* notante Först. in *not. ad Ann. Tac. p. 14.* Historiam traditam pluribus exhibent. *Aimoin. de Gest. Franc. l. 4. c. 44-47. Ganguin. de Or. & Gest. Franc. l. 3. f. 17. Lehm. l. 3. Chron. Spir. c. 21.*

§. VIII. Pipinus, Radbodo Frisiorum duce, à parente Carolo Martello victo, quem *nihil æquè anxium habebât,* quam ne *composita turbarentur,* ut de Tiberio loquitur *Tacit. 2. Ann. c. 65.* omnes motus pacifico regimine componebat, moriens ex uxore Plectrude natis filiis neglectis Carolum Martellum ex Albaida concubina, quam Regum Magnatumque malo, sed recepto more superinduxerat, susceptum hæredem Principatus dicebat: teste *Sig. ad A. C. 714. & Lehm. l. 3. Chron. Spir. c. 19.* Pipino mortuo nec animus, nec virtus, nec fortuna obtinendi hæreditatem Carolo Martello deerat. Quamvis enim ex custodia, in quâ à Plectrude Noverca tenebatur, Francis in Francos ferrum stringentibus, Theobaldo Pipini ex Drogone filio nepote una cum Rege Dagoberto à Ruginfredo, altero factionis duce, victo ac fugato elapsus contra Raginfredum Majorem domus & Regem Danielelem, Hilpericum postea dictum, infelici successu arma moverat, Radbodoque Frisio auxiliante Chilperico ipse copiis inferior fugam adornaverat: mox tamen receptis ex fuga copiis, postquam variis ac ancipitis fortunæ præliis concertatum fuit, tandem Regem ad Ablavum fugatum,

B

&

& Eudonis Vasconis ope arma repetentem in agro Camera-
censi fundens binis victoriis primam fugam emendavit, sibiq;
armis & hæreditatem & dignitatem asseruit; Patris ad exem-
plum prudenti modestia Dagoberti filio Theodorico mortuo
victum à se Childericum ex fuga revocatū, & eo decedente mi-
nimum natu Dagoberti filium Kala in monasterio enutritum
Reges constituit, ipse Non Magister Equitum, sed altiore fasti-
gio Princeps Francorum salutatus regiam exercuit potestatem;
Cumque *non ignavia magna imperia contineri, virorum armo-
rumq; faciendum certamen & sua retinere privata domus, de alie-
nis certare regiam esse laudem* cum Tiridate apud Tacit. Ann. l. 15.
c. 1. æstimaret, Saxones, Burgundiones, Frisios regno Francico
subjecit, Saracenos nonnullis præliis victos, imprimis insigni
clade eorum 280000. stratis suorum vix 1500. desideratis
repressit, *omnemq; spem iis (utar Sig. ad A. C. 738.) invadendi Gal-
lias abstulit.* Narrata copiosiori stilo tradunt supra allegati Au-
tores.

§. IX. Carolo Martello defuncto, Carolomanno mona-
chalis vitæ desiderio capto, & cum secularis pertæsus esset, mo-
nasteria ingresso, Gryphone minimo Caroli filio victo, medius
Pipinus totius Regni administrationem sustinuit. Sic Majores
Caroli hæctenus regiâ potestate Regibus imperitabant, auctiq;
viribus magis magisque illos ambitione graves spiritus, quos
in Jasono se famelici instar desiderio angi quoniam non regna-
ret, notavit *Aristoteles 3. Pol. 3.* quos Regib. Regumq; filiis formi-
dabiles reprimendos Cleobulus gravi consilio Meleandrum,
Regē apud *Barclajum in Arg. l. 3. c. 4.* docet, & *Forst. in Not. ad Tac.
l. 2. Ann. p. 32. & seqq.* exaggerat, ostentabant. Jam enim Pipinus,
postquam Aquitaniam, Hunoldo duce victrici manu finibus
ejecto, subjugaverat, Odilonem Bojoariæ Ducem rebus novis
studentem prævenerat, Gryphonem fratrem primum bellò vi-
ctum custodiæ dederat, postea profugum ad Saxones reduxe-
rat; Tassilonem fratris Gryphonis injuria ejectum Bojoariæ
restituerat, tot victoriis elatior se mole regiminis occupatum,
alieni ignaviæ dediti nominis gloriæ operari indignum judi-
cabat, nec obscure Regium nomen optabat.

§. X.

§. X. Cum autem ad Regnum stabiliendum occupantē magnum afferat momentum eorum, qui prætextu Religionis populo commendantur, favor & pro illius jure & defensione responsum, ut occasione narrationis Herodoti l. 1. p. 6. de Pythia confirman- te Regnum Gigi notat Lamb. Danaus in Aphor. Polit. ex Herod. l. 1. Aphor. 3. Pipinus missis legatis Burchardo Wirtzburgensi & Folrado Presbytero Zachariam Pontificem consuluit: ineptusne Rex & ignavus tolerandus, an de Regni salute summa diligentia sollicitus eo regio fastigio dignior? Zacharias hunc illi præferebat. Quo responso adducti Franci, quibus Regum jam ignavia displicebat, quique virtutem tacita veneratione, jam in Pipino, Majoribusq; ejus suspicere, & eorum lenibus imperiis parere consueverant, Childerico vecordi homine de- posito & detonso capillo in monasterium coniecto Pipinum, Sueffione convenientes in solium regni elevabant, Regemque suum salutabant; utque major rei autoritas esset Unctio ex Veteri Testamento repetita, notante Lamp. Mellif. Histor. p. 3. c. 2. ex Tilio Auctuario Meldensi Episcopo Merovingis hactenus ignota, manu Bonifacii Episcopi Moguntinensis adhi- bebatur.

§. XI. Ex hoc facto Romani Pontifices regna mutandi Au- thoritatem trahunt, dicit Otto Frisingensis cit. Lehm. l. 3. Chron. Spir. c. 22. Unde Zachariam Regem Francorum deposuisse, Pipinum substituisse omnesque Francigenas à juramento fidelitatis ab- solvisse. Quod etiam ex auctoritate frequenti agat sancta Ec- clesia ex Greg. VII. rejeſti l. 8. Ep. 21. ad Herimannum Episc. Met. con- script. in Decret. Grat. part. 2. causs. 15. q. 6. C. 3. refertur, & illud A- postolicæ Autoritati ascribit Baron. in Ann. ad A. 751. Verum, quamvis Francos superstitiosa credulitate sibi persuasisse, se, autoritate Pontificis à juramento fidelitatis, quo Childerico obstricti tenebantur, solutos, nota siquidem ejus seculi super- stitio, nō sim negaturus, cum & Sig. l. 3. de R. Ital. ad A. 750. ejus so- lutionis mentionem faciat: vanam tamen jactantiam & im- piam arrogantiam Pontificum demiror. Quis minus etenim credam Pontificis solius autoritate Childericum depositum, substitutum ei Pipinum obstat §. 5. Francorum tradita libera

electio, quam nec Pipino ad Regium fastigium sublato factam Historici diffitentur. Hinc *Sigonius l. cit.* Francos convenisse Pipinumque consentientibus omnium voluntatibus designasse dicit; *Aventinus l. 3. Chron. Boj. p. 278. & Lehm. loc. cit.* in publico conventu; *Naocl. Vol. 2. Chron. gen. 26. pag. 664.* publico totius gentis consilio electum scribunt. Pontificem proinde Consilium dedisse de Pipino eligendo largimur; verum *aliud est Regem creare, aliud creandi consilium dare. Aliud jus creandi habere; aliud jus consilii dandi. Quamquam consilii in huiusmodi rebus dandi jus nemo habet, nisi à quo petitur.* Quibus Hotomanni verbis cum *Lehmanno loc. cit.* nostram obfirmamus sententiam, certi ut vanitas jactantiæ patere videtur; ita cuius testimonio verissimo Scripturæ solvere juramenta præstita divinæ, non humanæ, potestatis esse cogitanti Pontificiæ arrogantia impietas perspicua erit.

§. XII. Vidimus proinde Regiam potestatem à Caroli Majoribus suæ familiæ assertam; Vidimus Regium collatum esse nomen publico consensu Pipino, qui teste Cuspin. in vit. Carol. Carolum ex Bertha Heraclii Imp. Constantinopolitani filiâ Carolum nostrum genuit. O igitur Regius Puer ex regio ortus sanguine! O Germanus, qui Germanos Majores, Germanumque Patrem agnoscis.

Membrum II.

De loco Nativitatis Carolina, deq; externa corporis conformitate, educatione, exercitiis juventutis, aliisque ad vitam Caroli usq; ad Regiminis annum actam pertinentibus.

I.

CRæcarum Civitatum de Natalibus Homeri Poëtæ concertatio his versibus:

Ἐπὶ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὀμήρου,
Σμύρνα, Ῥοδῶν, Κολοφῶν, Σάλαμις, Ἴω, Ἀθήναι,
Ἀθήναι.

Expressa legitur apud *Agellium l. 3. Noct. Att. c. 11.* Dignior anceps de Re-

de Regis, imò Imperatoris, Natali loco disceptatio nobis memoranda erit. *Cuspinianus in vit. Carol.* Carolum *Ingelheimi*, quod duobus milliariibus à Moguntiaco distat, primas vitales hausisse auras scribit; cui plerique Autores suum addunt calculum, inter alios *D. Barth. Agric. in Praefatione Carolo M. Germano Wimpelingii, quem notis illustratum edidit, praemissa*, qui scribit id, prisca in villa dicta visenda monumenta, veterisque Magnificentiae plena vestigia, testari. Aventino Ingelheimi Carolus noster educatus, Carlsburgæ natus creditur. Cum enim Pipinus Rex Francorum in bello Bojoarico contra Odilonem Bojoariae Ducem occupatus circa Frisingam castra metatus esset, uxorq; Bertha vocata adesset, hanc in dicta Bojoariae arce ad lacum nomine *Wirmersee* sita Carolum enixam esse *lib. 3. Chron. Boj. in vit. Odilonis refert, l. 4. in init.* ad incolarum Relationem & ad libri de Carolo conscripti, qui in Monasterio *Weihensteffen* in monte ad Frisingam exstructo asservetur, testimonium provocat.

§. II. Dictæ Cuspiniani & Aventini assertiones apud Autores obtinuerunt, ut alterutra harum recepta fuerit; donec Carolinae Donationis Fuldensi Episcopo Bonifacio factæ breviarium in antiquis Codicillis inventum, & à *Christophoro Brobero in Antiquitatibus Fuldensibus c. 12.* relatum Carolum M. in Thuringiæ, Saxoniaeque, confiniis conceptum docere videbatur. Sic enim legitur: *Donamus & contradimus Terram conceptionis nostræ, hoc est, totam comprovinciam circa flumen Unstrud, ipsamq; Chortem nostram Vargalaba cum omnibus pertinentibus suis, sicut eam nos à Parentibus nostris in proprietatem accepimus.* Subjungit hisce Browerus à priscae ætatis hominibus relatum, Pipino in dicta Chorte degenti Caroli M. nativitatem, divinitus in somniis innotuisse, locumque, in quo Carolus vitæ sumpsisset exordia, ad molam monstratum esse.

§. III. Cum Nobilissimo Dn. *Reinesio Var. lect. l. 2. c. 16. p. 256.* nobis gratulamur de dicta novâ Broberi solertiâ invētâq; Antiquitate, qua nostrum seculum curiosius in rebus Carolinis & circumspectius ipso seculo Carolino merito auditur. Locum enim, qui Tanti sideris exortum primus vidit, nostro se-

culo cognitum, à Carolino seculo ignoratum, non diffiteri videtur *Eginhardus*, aulæ Caroli Alumnus *in Vit. Car.* dum scribit: *De cujus (Caroli) nativitate atq; infantia vel etiam pueritia, quia neq; scriptis usquam aliquando declaratum, nec quisquam modo superesse invenitur, qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum.*

§. IV. Ex dictis locus conceptionis Carolinæ certus, nativitatis autem dubius videtur. Notum enim illustres Personas bello occupatas non uno in loco Lares figere, sed sæpius mutare sedes. Hinc cum Pipinus fratri Carolomanno Alemannos, Theobaldo Duce, rebellantes subjuganti, cui Austrasia & Thuringia Regno Francico bipartito cesserat, adesset, jamq; fratres ad sororis Hiltrudis ex Gyneceo ab Odilone factum raptum vindicandum, eumq; defectionem molientem præveniendum arma meditentur, conceptio Caroli M. in confiniis Thuringiæ & Saxoniae juxta Codicillorum Regiæ donationis expressa verba fieri potuit. Postea bello Bojoarico inchoato ac continuato, quò minus juxta Aventini assertionem §. I. propositam Carlsburgæ Carolus natus, eo bello exacto in agro Moguntiae, quæ Metropolis Franciæ regiaq; urbs teste *Lehm. in Chron. Spir. l. 2. c. 18. p. 90.* Ingelheimim educatus credatur, nullum urgens argumentum obstare videtur. Probabilitatem enim conjecturæ agnosco, & Aventini, & libri, *Frisingæ* inventi, testimonio, & incolarum Relationi subnixam fidem temerè in dubium vocare non audeo; immotæ tamen veritatis fundamenta desidero, judiciumque sapientioribus relinquo.

§. V. Vanè igitur gloriatur Bodinus *in method. histor. c. 7. p. 421. Carolum natum in Gallia.* Terram enim circa flumen Unstrud, quam tanquam Conceptionis suæ terram ipse Carolus M. veneratur, quis tam Geographiæ ignarus ad Galliam pertinere dicat. Carlsburga & Ingelheimum quoque Germaniæ potius, quàm Galliæ, annumeramus. Quamvis enim *Germania omnis à Gallis Rhetiisq; ac Pannoniis Rheno & Danubio fluviiis separetur* terminorum Germaniæ descriptore *Tacito init. l. de M. G.* eam tamen circumscriptionem limitum Germaniæ

mania nec adeò accuratam, nec nimis strictè accipiendam putamus, ipso suafore Tacito, qui c. 28. de M. G. dicit: ipsam Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi colunt Vangiones, Triboci, Nemetes. Pariter Marcomannos, quorum inter Germaniæ populos, teste Tac. l. de M. G. c. 42. præcipua gloria viresq; Danubium ex Bohemia transgressos, Rætiam, Vindeliciamque occupasse putat B. Rhen. lib. 1. Rer. Germ. Unde Germanos, Rhenum, Danubiumque transgressos, & eorum fluviorum ripis adjacentes terras dilatatis finibus suæ Germaniæ adjecisse, æstimamus. Hinc de Rheno confini solo, in quo & Ingelheimum B. Rhen. Rer. Germ. l. 1. tit. Germ. 1. p. m. 13. Apellata Germania (sc. prima) à Vangionibus, Nemetibus, & Tribocis Germanis. De Rætia & Vindelicia, quibus Carlsburga continetur, notat ex Hist. Landgr. Thuringiæ Lehmannus in Chron. Spir. l. 2. c. 2. pag. 57. partes viciniore Italici, sicut sunt Bavaria, dictas fuisse Alemanniam, vel Germaniam. Eodem docente l. 1. cap. 3. p. 14. juxta Priscorum Romanorum Imperatorum divisionem, quem vetustus liber S. Galliæ inventus exhibuit, & Moguntiacus civitas, cui Ingelheimum villa & Augusta Vindelicorum, cui Carlsburga arx vicina inter Germaniæ civitates numerata sunt. Nobis proinde Carolus M. Germanus à Germanis Parentibus in Germania natus.

§. VI. Insignem Majores nostri famam apud Historicos proceritatis suæ meruerunt, ut pluribus docent Cluver. in Germ. Antiq. l. 1. & Excell. Conring. in dissert. de Germ. Corporum habitus Antiq. & Nov. causis. Hinc Tacitus magna corpora omnibus l. de M. G. c. 4. tribuit, quæ Romanos mirari pronunciat c. 20. & postquam ex vario Britannorum corporum habitu variam gentis originem collegisset, Caledoniam habitantium magnos artus Germanicam originem asseverare dicit. Hinc & ipsi Galli ingenti corporum magnitudine Germanos prædicabant, teste Cæs. Comm. bell. Gall. l. 1. p. 24. Ipsa fanè natura corporis quoque proceritate Carol nam delineaverat Originem. Corpore enim Carolus fuit amplo atq; robusto, statura eminenti septem suorum pedum proceritate, teste Eginh. in vit. ejus. Oculi prægrandes ac vegeti erant, quales Germanorum veterum, quorum

rum

rum vultum atque aciem oculorum Galli armis cum iis congressi, haud se ferre potuisse fatentur apud *J. Cas. loc. cit.* Quamquam nasus longior, cervix obesa & brevior, venter projectior, vox ratione corporis inconvenientior; attamen illa cæterorum membrorum celabat æqualitas, hanc commendabat soni claritas; Facies læta ac hilaris, incessus firmus, totaque corporis habitudo virilis regiam exprimebat majestatem;

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus,

Quæ multum adjuvat canente *Marone l. 5. Æn.* omnem sui admiratione & favore ordinem, omnem submissione & veneratione ætatem implebant.

§. VII. Notamus porro Pipini Regis in educando Carolo M. paternam curam, Carolique M. in discendo ardens studium. Pueritia Caroli Petri Pifani tum in re Grammatica Præstantis viri, adultior ætas Albini Alcuini præceptis informabatur; illo doctore Grammaticam & linguarum cognitionem hausit; eo informatore naturalem facundiam eloquentiæ arte roborabat, Cœli syderumque scientiam discerebat. Sic institutus Latia Lingua æquè ut patria loquebatur; Græcam melius intelligebat, quam pronuntiabat; intentione sagaci syderum rimabatur cursum, eorumque difficultates numerandi notitia sublevabat, teste *Eginh. in vit. Car.* præcipuè in patria lingua ornanda occupabatur, h. e. Germanica, quæ Reges Francorum tam Merovingi, quam Carolovingi, ut *Lehmannus in Chron. Spir. l. 2. cap. 45. p. 196.* ex antiquis indiciis demonstrat, utebantur, quam Pipinus Parens, ut ex villarum oppidorum ab ipso nuncupatorum nominibus & regiis diplomatibus colligit *Cuspin. in vit. Carol.* & filius Carolus, ut scribente *Eginh. & Sig. ad A. 794.* Mensibus & ventis ab eo imposita docent, usurpabant. Hanc dico ut ornaret Carolus occupabatur; hinc non tantum eam, quæ proprias literas nondum agnoverat, literis exprimere, sed & Grammaticam ejus scribere conabatur, dicente *Eginh. in vit. ejus & Sig. loc. cit.* cujus partem literis incognitis scriptam Trithemium invenisse tradit *Lehmann. l. d.*

§. VIII. Ex dictis habe quæ observes: Pipini in Carolo edu-

educando laudata cura regionum puerorum educationis necessitatem te doceat, ut Reges eam negligentes, Rempublicam, cujus salus ab ea pendet, negligere aestimes. *Minora enim sunt belli mala, quam prava institutionis, quippe illa non nisi ad tempus durant; haec quoad vivit Princeps, ut ex P. Matthae. notat Förstn. in not. ad l. 1. Ann. Tac. p. 49.* Caroli M. literis operatae juventutis exemplo vocem eam: *Non decere viros Principes scire literas,* quam non hominis, sed bovis, Alphonfus Rex Arragoniae judicabat damnes, & cum populo Romano, ut ex *Vopisco refert Pезel. Mell. hist. part. 2. pag. 242.* Tacitum Augustum proclamante: *Quis melius, quam literatus, imperet?* exclames. Studium ornandae linguae Germanicae Caroli M. monebit *Bodinum in Method. hist. c. 7. p. 421.* lingua, moribus ac institutis Gallorum cum suis majoribus educatum Carolum dicentem, minus veritati litasse.

§. IX. Nec hoc in loco praetereundum Carolum M. praecipue historiis delectatum fuisse. Sic n. barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, literis & memoriae commendabat; historiae coenanti praeegebantur; corpus epulis, istarum condimento animum pascebat, iis vitam sustentare, hoc eam informare nitebatur. Unde historicis, quibus Carolus M. Magistris in Civili Prudentia usus tacentibus, ipsam naturam, quae saepe gerit vices Magistri,

Inq; utero ingenium multis largitur: ut illi

Quod Schola non docuit, caelesti munere discant

caerente *Palingenio l. 1.* Carolum M. ad Prudentiam civilem disposuisse; historiam vero ἀληθινότητα παιδείαν καὶ γυμνασία πρὸς τὰς πολιτικάς πράξεις teste *Pausan. lib. 1.* ingenitam vim, quae postea exercitio corroborata, excitasse credimus.

§. X. Sic adolescente Carolo ad tantos Parentes, tantumque habitum tantae virtutes accesserant, ut nemo ante eum ad Regnum asciscendus videretur. Jamque tacita Francorum confessione ad sceptrum destinabatur, cum publice Stephanus II. Pontifex Romanus regio titulo ejus ornaret juvenem. Aistulphus Rex Longobardorum eo tempore Italiam infestabat, Imperatorisq; Constantinopolitani, ut & Pontificis

C

tificis

tificis nuntios, postulata ac munera impotenti superbia spernebat, nullaque spes, quâ sibi Pontifex aut Populus Romanus præsidium Imperatoris promittere potuissent, supererat. Stephanus II. igitur more prædecessorum Gregorii II. & III. quorum tempore primùm teste *Plat. in vit. Greg. III. & Naucl. vol. 2. Chron. g. 25. pag. 657.* ab Imp. Constantinopolitanis Ecclesiæ tutela ad Francos translata, quorum ille contra Leonem Isaurum, cui foedus Pontificis cum Carolo Martello factum terrori fuit, referente *Bar. ad A. 726. n. 42.* hic contra Luitbrandum Francorum implorare auxilium Ecclesiæ salutare expertus est. Horum dico more Stephanus Francorum opem quære constituebat; & tuto per castra hostium autoritate Regis Pipini transitu impetrato, Regi aderat, supplex auxiliares copias à Rege Pipino petebat & impetrabat. His impetratis Papa sive proprio motu gratus, sive à Pipino sollicitatus, ut vult *Sigon. l. 3. Ital. ad A. 754. p. 77.* non tantùm Pipinum cum uxore Bertha, sed & ejus filios Carolum & Carolomannum solenni pompa reges Franciæ inunxit, solennique carmine astantes Francorum Præceres sacræ detestationis, ne quando alios quàm ex superstitie ipsorum progenie super se regnare juberent obstrinxit; ut narrant *Ganguin. l. 3. f. 18, 19. Naucl. & Sig. loc. cit. Ann. Franc. ad A. 754. Baron. ad A. 754. n. 6.* Patremque & filios Patritios Romanos nuncupavit, quod ex Pontificis Epistolis à Cardinali *ad A. 755. no. 2. & seqq.* traditis, quorum inscriptio: *Dominis Excellentissimis Pipino, Carolo & Carolomanno tribus Regibus & nostris Romanis Patritiis,* constat.

§. XI. Nihil jam deesse videbatur Carolo nisi ut ingenium ipso rerum gerendarum molimine exfereret, publicumque bellicæ virtutis specimen ederet, quod & à Patre in bello Aquitanico, contra Vaifarium Sacerdotum opum avarum invasorem, regiæ Majestatis perfidum contemptorem per octo æstates acto, quod fusâ narratione *Naucl. vol. 2. Chron. g. 26. p. 668. Ann. Franc. ad A. 760. & seqq. Job. Joach. Frantz in Hist. Car. §. 7. & 8.* exhibent, præstitit; Gergoviis, Pictonibus, Biturigibus ab eo receptis. Sic hoc bello, quod Pipini Patris mors, Caroli Regia inauguratio suscepit, Vaifario à domesticis suis

fuis gratiam victoris aucupantibus occiso, & suo exitu perfidorum & perjurorum exitum definiente victrici expeditione peracto, Pipini Patris tumulus, Caroli M. juventus triumphalibus coronata corollis.

Membrum III.

De Carolo M. in Regem Francia electo.

I.

Perspecta digna Principatu juventa nostri Caroli, ipsi principatus honores & gradus sese offerunt, quibus ornata magnifica ejus persona se nostræ contemplationi sistet. Francia primum Carolum Regem sibi eligit, Longobardia postea Victoris sceptro se submittit, Italia mox Patritium Romanum nuncupat, mox Imperatorem proclamat, de quibus ordine.

§. II. Jam Pipinus, Caroli M. Parens, perfido Gaifario perfidiosis suorum manibus occiso ex Aquitanico bello Santonas ad uxorem familiamque reversus erat, cum ægrotare cœpit, æger ad Turonios delatus vix Parisium adveniens aqua intercute membris intumescens supremum diem obiit. Quo mortuo successio Regni ad duos superstites ejus ex Bertha filios Carolum & Carolomannum divino nutu pervenit. Franci enim facto generali conventu ambos sibi reges constituunt, eâ conditione præmissâ, ut totum regni corpus ex æquo partirentur: & Carolus eam partem, quam Pater eorum Pipinus tenuerat, Carolomannus verò eam cui Patruus eorum Carolomannus præerat, regendam susciperet. *Suscepta sunt utringq; conditiones, & pars regni divisi juxta modum sibi propositum ab utroq; recepta est, ut loquitur Eginh. in vit. Car. Carolomanno Sueffione coronato, ipse Carolus Wormatiæ regni insignia suscepit. Vid. Ann. Franc. ad A. 768. Ganguin. l. 3. f. 19. Naucl. l. c. p. 669.*

§. III. Iterum nota contra vanam Pontificiorum §. II. *Membr. 1.* notatam arrogantiam, Francos Carolum & Carolomannum, quos in Reges à Stephano II. unctos *membr. 2. §. 10.* audivimus, in conventu publico, communi concordique consensu, ut autores loquuntur, sibi Reges non accepisse, sed ele-

C 2 gisse,

gisse, quod paternam vitamq; emularentur virtutem; scribente Cuspin. in vit. Car. Stephanus proinde Pontifex nullo modo Carolum cum Fratre ad regiam potestatem sublimavit auctoritate Apostolica, ut gloriatur ex Hilduin. in Arcopag. Baronius ad A. 754. n. V. si quid egit, solenni & publico voto illos suo iudicio dignos Regia potestate esse testatus est, & ob collata in Ecclesiam Romanam beneficia, ne temerè Franci ex alia familia sibi Reges fumerent, singulari obtestatione monuit.

§. IV. Regnum vix cum Fratre Carolus diviserat, cum Hunoldus, Aquitaniæ regnum affectans, allectis popularium animis se Ducem Regionis diceret, præcipuisque urbibus, mœnibus jam à Pipino nudatis, facilibus armis receptis bellum extincto Vaifario ferè peractum reparare tentaret, novisq; molitionibus initia Regni Carolini turbaret. Verum ut ipse Vaifario prædecessore suo perfidia haud inferior; ita & ejus Everfori Pipino succedentem filium felicibus armis haud impari suæ perfidiæ justum punitorem sensit. Carolus enim, licet frater malis machinantibus frustra auxilio promisso, milite armato Hunoldo imminebat, exterritum non bellum, sed fugam adornantem insequabatur: Lupum Vasconia Ducem, cujus fidei se Hunoldus fugiens commiserat, legatis missis, ut perfugam reddendo jam jam impendentia arma declinaret, monebat: obedientem monitis Lupum & se suaque unam cum Hunoldo Carolina potestati permittentem recipiebat totamque Aquitaniam Francico subjiciens imperio bello à Patre incepto finem dedit, test. Ann. Franc. ad A. 769. Naocl. vol. 2. Chron. g. 26. p. 670. Crantz. lib. 2. Sax. c. 3. Frantz. in histor. Carol. §. II.

§. V. Has molitiones excepit gliscens fraternalium dissidiorum ignis, quem curiosè ferociori ingenio Carolomanni abusi proceres & Uxor, quæ post mortem Mariti ad Desiderium perfugiens se iis fomentum subministrasse satis docebat, aluerunt; Mater Bertha fraternas discordias averfata rei componendæ causa cum Carolomanno Salusæ in colloquium venit, teste Sig. lib. 3. It. ad A. 769. p. 83. Ann. Franc. ad A. 770. sed nunquam litigiosis sufflantibus plena conciliatio inter eos speranda erat, adeo

Em-

Fratrū quoq; gratia nra, canente Nasone l. i. Met.

Verūm maturo altero regni sui anno Carolomannus haud (ut videbatur) Reipubl. inutili fato abripitur. Cujus morte audita Carolus in villam Corbonacum pervenit, & cum Episcopis, Sacerdotibus, Comitibus ac Primatibus fratris colloquio habito omnium consensu fraternæ ditōnis habenas suscepit. Not. *Ann. Franc. ad A. 771. & Eginh. in vit. ejus.*

Membrum IV.

De Carolo Victore in Regem à Longobardis suscepto.

I.

Vix Bellisarii & Narsetis virtute Gothis crepta Italia Romano Imperio, cujus vis & majestas in Oriente supererat. restituta erat, cum Narses Sophiæ uxoris Justinii Junioris convitiis, quæ eum ad pensum trahendum in Gynæceum ex Italia revocandum dicebat, exacerbatus telam, prout contumeliæ impotens minatus fuerat, quam neque Justinus neque uxor retexerent, exorsus est, & ad Italiam occupandam Longobardorum Regem Alboinum invitavit, cujus felicibus armis tota Italia Longobardorum juris facta est, quorum Regibus tandem ferè tota cessit, ut legi licet apud *Naocl. Chron. v. 2. g. 18. & seqq. Sig. l. i. Ital.* Et quamvis inter Longobardos & Cæsares populumque Romanum perpetua pœnè fuerint bella: attamen pax cum iis tanquam Italiæ possessoribus haud semel inita, quasi certamen fuerit tantum de finibus, non autem de integro regno, ut ex Gregorii Magni cum Agilulpho Rege pace teste *Sig. l. i. Ital. ad A. 599.* facta, & ex petitione Romanorum, quâ à Pipino & Carolo non Italiam sed ipsa saltem Romæ pœmœria, Exarchatum Ravennæ sibi reddi rogabant, demonstrat *Exc. D. Conring. diss. de Imp. Rom. c. 5.*

§. II. Sic Longobardorum Reges per ducentos annos maximam Italiæ partem sub nomine Regni Longobardici possidebant, donec Desiderius dilatandi Regni libidine per totos annos auctam & quasi usucapionis ac præscriptionis jure corroboraram potentiâ perdidit. Ille enim postquam Longobardiam Tuscis suffragantibus sibi Aistulpho mortuo vindicave-

C 3

rat,

rat, & beneficio Stephani II. qui Rachisium monasterio egres-
sum armis ei imminentem ad pristinum vitæ statum ut rediret
monuit, obtinuerat, jam felicitati Carolinæ invidens, filiâ sua
â Carolo repudiata exacerbatur indulgens furori vindictam
meditabatur; & fraudibus suis, quas Constantinum ad Ponti-
ficatum, Michaellem ad Archiepiscopatum Ravennatensem,
nullis sacris initiatos pari audacia & intentione evehens Italiæ
paraverat, elusis dominationis consilia novo astu exequi cogi-
tabat. Unde ab Hadriano Pontifice missis Legatis postulabat,
ut Carolomanni fratris Caroli filios, quos cum Matre, ut dixi-
mus, fugientes in tutelam receperat, ungeret, haud sanè mise-
ricordia eorum tactus, sed ut & Carolus ab amicitia Pontificis
abalienaretur, & Franciâ civilibus bellis turbatâ Italia suæ pa-
teret libidini. Vix responsum Desiderius, certus negatum
iri, quod postulaverat, exspectabat, Exarchatum ingredieba-
tur, Comaclum, Faventiam & Ferrariam occupabat; mox pa-
cis conditiones insidiosè jactabat. Verum Pontifex ut urbi in
extremis constitutæ periculis consulere more Prædecessorum
Francicum, Legatis ad Carolum missis, auxilium implorabat,
quod summa animi alacritate Carolus, dicente *Sigon. l. 3.* fusi-
us hæc narrante *sub Desiderio* promittebat. Antequam autem
armis Desiderium invaderet, ut â depopulatione agri Romani
abstineret, Pontifici sua redderet per Legatos monuit, denique
notante *ex Anastasio Baronio ad A. C. 733. n. 6. Naucl. v. 2. Chron.*
g. 26. p. 671. ad finem & Sig. loc. cit. num quatuordecim milli-
bus solidorum acceptis satisfacere Pontifici vellet? per nunti-
os tentavit. Credo hoc â Carolo M. datum esse Francis ad bel-
lum prono minaciter obsistentibus, scribente *Eginb. in vit. ejus,*
ut sui Regis spretâ autoritate contra Desiderium inflamma-
rentur. Cum autem Desiderius Carolo vanis promissis illude-
ret, monita contemneret, dona sperneret, Carolus in publico
Francorum conventu omnibus Desiderii perfidam arrogantiam
detestantibus contra eum bellum decernit.

§. III. Bello decreto tanto studio arma â Francis expe-
diebantur, ut facilè constaret, eos se non tam ad sublevandam
Ecclesiam, quàm ad Longobardorum Regnum evertendum
accin-

accingere. Coacto exercitu Carolus M. copiis divisus una parte duce Bernardo Patruo ad montem Jovis præmissa, altera Cinisii montis ferè tenebat verticem, Desiderium, an accepto auro Pontifici ereptas velit restituere urbes, denuo per Legatos suos tentabat, insolenter omnia spernentem feliciter oppositis Desiderianis præfidiis dejectis, & Alpibus superatis citra ullum prælii discrimen (malumus enim *Annal. Franc. ad A. 773. Anast. cit. Bar. ad A. d. n. 8. Aimon. de Gest. Franc. l. 4. c. 49. cum Sigon. in Ital. p. 86. credere, quam Ganguino lib. 4. de Gest. Franc. f. 19.* Utrosque exercitus in campis Vercellinis dimicasse, Desiderium victum & fugatum memoranti) fugam adornantem insequebatur; Papiæ (aut, ut quidam volunt, Ticini,) semoenibus includentem, longa molestaque obsidione fatigatum, fame ac pestilentia civibus ac militibus ab armis averfis, sese cum uxore liberisque Victoris potestati committentem, Leodium Eburonum relegabat; Longobardis clementiam, quam præ vi armatâ experiri mallent, quamq; fidei victoris sese permittentes optabant, testabatur, qui jure victoriosi belli captivos in subditos recipiebat, terram occupatam Francicis armis Francico adjiciebat regno. Sic una & nimia dilatandi regni libido inveterata jam Italiæ dominatione Longobardos exuebat, virtuosa felicitas Carolum M. totius Longobardici regni Regem constituerebat.

§. IV. Theolindam Reginam Agilulfo, quem potestate à populo Longobardico accepta sibi maritum, Regno Dominum elegerat, in publico Mediolani conventu celebrato regio titulo ornato coronam auream circulo ferreo (unde ferrea postea dici meruit) interiore intextam imposuisse, Gregorium Pontificem illa corona omnes Longobardorum Reges Modætiæ in D. Johannis nomini consecrata Basilica à Regina Theodelinda exstructa manu Episcopi Mediolanensis coronari voluisse, referunt ex patriis Annalibus Mediolanenses, testante *Sig. l. 1. de Ital. p. 20. & 27.* Hoc ritu reducto Carolus Modætiæ manu Thomæ Mediolanensis Episcopi coronatus est. Hæcque Longobardica coronatio ut à posteris observata; cujus ritum *Sig. l. 4. de Ital. & Limm. de Jur. Publ. l. 2. c. 4. n. 39. & seqq.*

seqq. tradunt. Ita Carolus Longobardorum Rex non tantum armis, sed & legibus constitutus est.

Membrum V.

De Carolo M. Pipini Patris donationem, Pontifici factam, confirmante, & eodem Patritio Romano declarato.

I.

Donationem, qua Constantinus M. Romano Pontifici totius Occidentis dominium, insignia regia, diadema aureum, sceptrumque Imperiale concesserit, curiosam evertere oratione non allaborabimus. Instrumentum enim ejus, quod *dist. 96. C. Constantinus* habetur, cum nec ab Antonio Florentino, nec a Nicolao Cusano, & aliis, in Antiquis Decretalium codicillis inventum, nec a D. Matthia Colero, Magnifico Nobilissimi Collegii Juridici in hac alma Salana quondam Ordinario in Exemplari sub annum 1125. manuscripto, quod Lipsiæ Bibliotheca D. Zobelii exhibuit, ipso in prog. publ. teste repertum sit, in dubium merito vocatur, & suis absurdis, quibus refertum, annotantibus *Limn. l. Jur. Publ. c. 9. n. 38. Reinking. l. 1. de Reg. Sec. & Eccl. cl. 2. c. 8. El. Reusn. q. 4. Ill. quest. Histor. damnatur.* Hinc veritate adductus ipse Cardinalis ad A. 1191. Concessio ista, que in edicto habetur penitus esse commentitia prorsusq; falsa convincitur.

§. II. Itaque & hoc jam fractum est telum, quo olim omnem orbem a Papis concussum & dementatum esse, certissimum est. Recte siquidem Guicciardinus *lib. 4. hist. cit. Nobil. Conring. tr. de Imp. Rom. cap. 13. p. 117. famam illam de Constantinianam donationem a Pontificibus diligenter fuisse enutritam & sustentatam, eorumq; auctoritate a multis creditam* scribit. Verba Baronii autem, quæ *loc. cit.* habentur: *Neq; tot, tantosq; Pontifices Rom. Ecclesie, qui claruerunt a Constantini temporibus, quos contigit sepe adversus Principes de Juribus Rom. Ecclesie disputare, legimus ea voluisse defendere ejusmodi Constantini Edicti auctoritate, sed potius Evangelica, nullius sunt fidei ipso sibi contradicente Cardinali.* Argumenta enim Epistolarum Hadriani Pontificis ad A. 795. n. 7. enarrans in 35. Epistola ad Carolum *multas*

multas Gratiarum actiones, plurimas petitiones pro restitutione & patrimonio B. Petri contentas fuisse; Papam mentionem fecisse donationis Constantini M. temporibus Sylvestro Papa facta, in Lateranensi scrinio eas donationes haberi dixisse, Carolum novum nominasse Constantinum, tradit. Et quomodo Italiae urbisque Romanae Imperium Pontifices sibi deberi Evangelica auctoritate contra Caesares obtinuerint, non videmus. Quis namque a Christo illa privilegia in Petro Romanae Ecclesiae collata, & a Petro in successores transfusa esse, in altissimo Evangelii silentio credat?

§. III. Ficta donatione Constantini M. elusa, veriorum Carolina tempora exhibebunt. Pipinus siquidem Aistulpho Longobardorum Rege superato, S. Petro & successoribus ejus possidenda Pomeria Romae, Exarchatum, & Pentapolin concessit, donationisque tabulas fieri jussit, quod id ad animae suae salutem & peccatorum remissionem valiturum jampridem sibi persuasisset, quo nomine Legatis Imperatoris Constantinopolitani Exarchatus cum Pentapoli, ut Imperatoriae redderetur ditioni petentibus: *Exarchatum & Pentapolin si recepisset, S. Petro se, & successoribus ejus traditurum jurasse. Quare nulla ratione adduci posse, ut fidem fallat officiove decedat* respondit, ut ex Anastasio referunt Baron. ad A. 755. n. 26. & Sig. l. 3. de Ital. ad A. d. p. 80. Quam donationem filius Carolus, Longobardorum Regis Desiderii victor, cum ne obsidione Papae omne teneret tempus, Religionis causa Romam intrasset, alia confirmabat, iisdem testantibus *Bar. ad A. 774. n. 6. Sig. ad A. 773. p. 88.* novisque donationis codicillis corroborabat. Vid. *Lehm. Chron. Spirens. l. 2. c. 40. l. 3. c. 23.* Pipinus proinde Primus Donator existit. Quamvis enim & illum a Stephano II. ementitis privilegiis a Christo Petro datis, ut literae Pontificis a Baron. ad A. 755. n. 2-8. & n. 11-16. relatae, imprimis S. Petri nomine a Papa confictae & n. 17-23. productae, Patrimonium Petri infestari clamantes doceant, & falsa donatione Constantini elusum esse nulli dubitemus: Eum tamen Primum munificentia sua locupletasse Ecclesiam ipsa curia Romana agnoscit; testis antiqua tabula Ravennae inventa, ex qua haec integra injuria tempo-

D

rum

rum servata verba: PIPINUS. PIUS. PRIMUS. AMPLIFICANDÆ.
ECCLESIE. VIAM. APERUIT. à Baron. ad A. 768. n. 13. referuntur.

§. IV. Quantum autem domini ad Pontificem his donationibus pervenerit, definitu difficile videtur. Summum certè Imperium in urbem Romam, Italiamque, ad Pontificem his donationibus non pervenit, ut fusè demonstrat *Lehmannus in Chr. Spirensi l. 3. c. 24.* Unde *Sigonius l. 3. ferè ad finem Carolum M. donasse S. Petro Ducatum Spoletanum, Tuscumque unacum censu, qui quotannis pro his Ducatibus Regi Longobardorum persolvebatur, salva tamen super eosdem Ducatus regia ditione.* Hinc & in Ludovici Pii, filii Caroli, avitam paternamq; confirmantis donationem fictitiis tabulis, ut à *Sig. l. 4. ad A. 817.* referuntur, hæc leguntur verba: *omnia superius nominata ita ad nostram partem per hoc nostræ confirmationis decretum roboramus, ut in nostro, nostrorumq; successorum permaneant jure, principatu atq; ditione, ut neq; à nobis, neq; à filiis vel successoribus nostris, per quodlibet argumentum, sive machinamentum in quacumq; parte minuatur nostra potestas, aut nobis de superscriptis omnibus; vel successoribus nostris inde aliquid subtrahatur.* Quo igitur jure Romani Pontifices sibi summum Imperium in urbem Romam, & Italiam, arrogent, quo jure sese super Imperatores efferant, non videmus. Verum forsitan parum iis interest, quo titulo sibi coronas sumant, modo habeant.

§. V. Nec hac Pipiniana ac Carolina donatione Romanos Papali dominio fuisse subjectos credimus; licet Papas jam paulatim libertatem populi minuisse haud dubitemus. Nec enim aut Pipinus aut Carolus ad Romanorum libertatem infringendam, sed defendendam Italiam ingressi sunt; verisimile proinde mansisse populo eam libertatem, quam sibi per rebellionem adversus Leonem Isaurum vindicaverat. Leonamque Isaurus decretum de abolendis & ejiciendis è templis imaginibus fecerat, quo promulgato solennis rebellio totius Italiae contra Imperatorem exorta est, sibi que ipse populus eligebat duces, teste *Naucl. v. 2. Chr. g. 25. p. 654.* IMPERATOREMq; sibi alium constituere meditabatur, sed compescebat illud consilium Gregorius II. ut ex Athanasio refert *Excell. Dn. D. Conring.*

Conring. c. 6. tr. de Imp. Roman. Illo tempore sese Romam liberam æstimasse, Duces, quales, scil. ante Constantinopoli mitti soliti, sibi sumpsisse credibile est; siquidem quod tota Italia instituit, proculdubio nec Roma, memor pristinae libertatis, neglexit. Unde Basilium Ducem, quem Pontificem contra conjuratos defendentes Romani captum in monasterium detruferant, Ducum eorum, qui ab IMPERATORIBUS Romam mitti solebant, fuisse novissimum notanti *Baronio ad A. 726. n. 34.* ut ut concedimus, desisse autem penitus Duces urbis, curamq; omnem in omnibus recidisse in summum Pontificem, quod Cardinalis addit, non æquè credimus. Nam & in vita Gregorii II. Anastasius Petri Ducis facit mentionem *cit. D. Conring. loc. cit.* quem Marino Sparthario cum filio Adriano interfecto Romani Ducem creârunt, scribente *Naocl. v. 2. Chr. g. 25. p. 654.* Gregorius III. in consilium adhibito Duce Stephano Trasimundum Ducem, Spoletanum ex ejus sententia recepit, teste *Sig. 1. 3. c. de Ital. ad A. 738.* Ducumque expressa sit mentio in inscriptione Epistolæ Stephani ad Pipinum, quam *Baronius ad A. 755. n. 8.* proponit.

§. VI. Nec tamen sub his Ducibus, quos ipsa sibi fecit Roma, omnimodo ab Imperio Cæsarum fuit libera, nec Pontifex à Cæsarea subjectione solutus. Sic Gregorius II. ne desisterent ab amore & fide Romani Imperii Romanos admonebat, teste *Bar. ad A. 726. n. 40.* Petasius Romani Imperii affectator à Romanis interimitur, caputque Constantinopoli mittitur, *Bar. ad A. 730. n. 3.* Aistulpho Italiam infestante Johannem Imperialem Silentiarum regiam jussionem detulisse; Pontificem cum populo Romano auxiliatrices à Cæsaribus copias submisisse petiisse legimus apud *Baron. ad A. 752. n. 15. & 753. n. 2.* *Naocl. v. 2. Chron. g. 26. p. 664. Sig. 1. 3. Ital. ad A. 753.* Zacharias I. suis literis ad Bonifacium datis, quas *Bar. ad A. 743. & 748. & 751.* refert, annos Cæsarum adjecit. Quæ omnia Romanæ urbis libertatem quidem arguunt, supremam tamen jurisdictionem saltem in speciem mansisse Cæsaribus Constantinopolitanis; quam libertatem nec donationibus Pipini & Caroli everfam putamus.

§. VII. Nec sic quidem liquet, quantum juris in ipsam Urbem Romam tandem habuerit Pontifex; Verum veluti Ecclesia Christi ad arbitrium Papæ tum temporis alligabatur, libertas Evangelica servituti Pontificiæ subiciebatur tutiusq; à Scriptura, quam à Decretis Romanæ sedis decedere habebatur: ita Populum Romanum Pontificis quoque iussa & imperia in secularibus tanquam divina accipere, ejus consilia venerari, ab ejus nutibus dependere cœpisse, eumq; tanquam Caput Civitatis & supremum civem adorasse certissimum videtur.

§. VIII. Satis de Donatione Pipina & Carolina, jam ad Patritiatum Caroli M. accedimus. Ille enim Papiæ capta Modocetæ Rex Longobardorum coronatus ad Italiam, cujus & armis & legibus Dominus factus erat, ordinandam animum intendit, in qua re cum consilio Hadriani uti vellet Romam adiit, intrantem solenni occursum civitatis Hadrianus excepit, dicente *Sig. l. 4. de Ital. in princ.* haud certè minori pompa, quam illa, quæ obsidione Papiæ durante, Resurrectionis Domini festo appropinquante, ut debita veneratione divino cultu adesset, urbem accedens exceptus est, qualè in Exarcho aut Patritio suscipiendo more recepto adhibebant, quam descripsit, *ex Athan. Bar. ad A. 774. n. 2.* sed forsàn majori solennitate, cum nunc non solum ut victor Longobardiæ, sed & ut coronatus Rex Longobardorum ingrediebatur. Ingressum urbem Carolum Magnum, quomodo communi consensu ac applausu Patritium dixerint, *Sigeberti* verbis audire libet, qui ad *A. 773. Postea* (Roma sc. rediens) *Papiam cœpit. Iterumq; Romam rediit: synodum constituit cum Adriano Papa, aliisq; 153. religiosis Episcopis & Abbatibus. In qua Adrianus Papa cum universali synodo dedit ei jus eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoq; Principatus. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definiuit, & ut nisi à Rege laudetur & investiatur Episcopus, à nemine consecratur. Omnesq; huic decreto rebelles anathematizavit: & nisi resipiscerent bona eorum publicari.* Eadem tradit iis pœnè verbis *Sig. l. c. Naocl. Chron. v. 2. g. 26. p. 26. Ganguin. de Gest. Franc. l. 4. f. 19. b.*

§. IX.

§. IX. Ut ut hæc adeo certa & persuasa fuerint olim, ut nec *Gratianus dist. 63. C. 22.* suo id ipsum Decreto inferere, nec *Bellarminus l. 2. de R. P. c. 29. & l. 1. de Cl. c. 9. & l. 1. de Transl. Imp. c. 13.* tanquam vera (quamvis postea monitus in Recognitione Operum ea rejicit) adducere dubitaverit: Attamen Cardinalis ad *A. 774. n. 10. & seqq.* multis nobis persuadere conatur, ea à Sigeberto in gratiam Schismatici Regis Heinrici conficta esse; nec ab ullo historico ante eum enarrata. Verum Baronius fictionis innocentem arguens Sigebertum, facile ex suæ religionis doctoribus falsitatis evincitur. *Gregorii VI. in oratione*, quæ apud *Wilhelmum Malmesburiensem l. 11. de Gestis Reg. Angl. c. 13.* habetur, agnoscas verba: *Laudatus est olim prædicandæ memoriæ Prædecessor noster Hadrianus I. quod investituræ Ecclesiarum Carolo M. concesserit.* Anastasii manuscriptam historiam ex Bibliotheca Palatina sæpe testem vocat *Janus Gruterus in not. ad Hist. misc. cit. D. Conring. tr. de Imp. Roman. c. 6. p. 29. Onuphrius in vit. Greg. VII.* eam narrationem ex Anastasii historia Ecclesiastica delumptâ tradit, nec aliter inscriptio Capituli apud Gratianum patitur, & aperte testatur *Platina in vit. Paschalis I.* cum enim bis Bibliothecarium citaverat, & Ludovicum potestatem liberam eligendorum Episcoporum Paschali concessam dixerat, subdit: *quam potestatem ab Hadriano Pontifice Carolo concessam idem Author refert.* Si proinde jam illud factum testati sunt & Anastasius & Greg. VI. Quis non videt Baronium falsum dum illud à Gemlacensi confictum asserat. Plura addere angustia pagellarum prohibet. Videatur *D. Conring. loc. cit.*

§. X. Sane jam ante Patritius Romanus Carolus à Stephano III. salutatus est, ut Membr. 2. §. 10. monuimus. Verum ipsum hoc titulo non usum fuisse videtur; ab hoc autem tempore, quò publicè à populo Romano Patritius declaratus nomen illud usurpavit, ut ex inscriptione Epistolæ Carolinæ ad Albinum à *Baron. ad A. 778. n. 18. & seqq.* relatæ & Privilegii Monasterio S. Vincentii & Germani concessi ad *A. 779. n. 2.* à Cardinale scripti constat, ab eo quoque tempore anni Patritiatus, non vero ab Anno demum DCCLXXXI. quo Pipinus

filius in Regem Italiae unctus, ut vult *Otto Frising. l. V. Chr. c. 28.* numerari cœperunt, ex citati Privilegii *A. 779.* dicti subscriptione patet, quæ sic habet: *Data anno 5. Patritiatus nostri; sat hæc argumento sunt isto tempore demum una cum nomine, & rem ipsam Patritiatus acquisitam.*

§. XI. Italiae jam maxima pars Longobardo victo jure victoriae Carolo M. cesserat, nunc & ipsa Pomeria Romæ & reliquæ liberè se potestati Carolinæ subjiciunt, ea libertate, qua hæctenus Duces sibi elegerant, jam Patritium Carolum nominant, quemque suæ libertatis viderant Vindicem, optant Principem, jus eligendi Pontificem, quod non tantum Cleri, sed totius populi fuisse satis ex electione Pontificum constat, in Carolum conferunt. *Unde his honoribus insignitus eo inde alacrius formando Regno, atq; Italiae constituendæ se tradidit. Primum autem Apuliam, & Calabriam Imperatori, sicut à victoria fuerat Justiniani, reliquit. Quæ post à Normannis occupatæ in alterius Regni formulam concessere, quod demum Neopolitanum est appellatum. Ducatum inde Beneventanum Aragiso Desiderii Regis Genero, Spoletanum Hildebrando, Forojuliensem Rodgando permisit antiquo Feudi jure erga se, quod erga Reges Longobardorû fuerat, conservato. Exarchatum Ravennatem, Pentapolin, Ducatum Perusinum, Romanum, Tuscum & Campanum jure, Principatu, & ditione sibi retenta Pontifici permisit. Reliqua ipse sibi nomine Regni retinuit. Hæctenus Sig. l. 4. Ital. in Princ.*

§. XII. Patritii proinde nomine in ditione Caroli omne Petri patrimonium, ipsam urbem, imo ipsos Pontifices fuisse, & Patritiatus nomine nõ nudam Advocaturam, Defensionem & Protectionem Romani Ducatus, sed insigne dominium notatum esse nulli dubitamus. Hinc enim ipse Carolus majoris fecit titulum Patritii, quam Protectoris, ut ex inscriptione Carolinæ Epistolæ ad Elipandum à *Bar. ad A. 794. n. 15.* notatâ: *Carolus Gratia DEI Rex Francorum & Longobardorum ac Patritius Romanus, Filius & Defensor sanctæ DEI Ecclesiæ.* Illius adepti Principatus indubium fuit signum, quod Adriano Pontifice petente longa tunica & Chlamide amictus & calceis Romano more Carolus teste *Eginh.* incesserit; quod Romani continuo

tinuò pro Carolo DEO gratias egerint & oraverint, ut ex argu-
mento *Epist. 44. Hadriani ad A. 795. n. 9. à Baronio tradito* videre
licet. Jure domini Carolus civitates in verba regis jurare insti-
tuit, Legem Salicam introduxit, scribente *Sig. l. c.*

§. XIII. Hanc Carolinam dominationem in ipsam
urbem Romam quoque agnovit Leo Pontifex Hadriani suc-
cessor, quamprimum enim Pontifex electus *mox per Legatos*
suos (verba sunt *Annal. Franc. ad A. 796.*) *claves confessionis sancti*
Petri, ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus regi misit, ro-
gavitq; ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret, qui popu-
lum Romanum ad suam fidem atq; subjectionem per Sacramenta
firmaret, quæ & Nacl. v. 2. Chron. g. 27. p. 677. & Sig. l. 4. Ital. ad
A. 796. referunt. Quæ meritò ad probandum Caroli domini-
um in urbem adducuntur, quicquid etiam contradicat Baroni-
us in Novatores invehens ad *A. 796. n. 16.* Non enim profecto
urbis alicujus vexillum mitti tum solitum, nisi penes quem ali-
qua potestas, ut monet *Lehm. l. 3. Chr. Spir. c. 24. p. 235. D. Conring.*
in tr. de Imp. Rom. c. 6. p. 30.

§. XIV. Quamvis autem ipsum Dominium in urbem
Patritiatus nomine Carolo M. collatum: attamen non con-
fundenda est Imperatoria & Patritiatus dignitas: hæc ut dictum
Hadriano Pontifice Carolo collata, illa Leone. Quæ confusio
commissa videtur *d. 36. C. 22. in decret. Grat.* ubi ad probandum
quod Imperator jus habeat eligendi Pontificem, ut inscriptio
promittit, producit electionis Pontificis concessio facta Ca-
rolo M. nondum Imperatori, sed Patritio. Vid *D. Arumæum*
v. 1. disc. de Jur. Publ. p. 277.

§. XV. Necdum novi Carolini Principatus in Italiam
initia contemplantur, & Romam ab eo occupatam jure victo-
riæ ei subjectam fuisse credimus, cum Carolus nullo modo in-
festis armis, sed sociis Romam venerit, ut notat *Lehm. Chron.*
Spir. l. 2. c. 40. p. 163.

§. XVI. Porro concessio Carolo M. facta eligendi
ArchiEpiscopus nullo modo ad omnes Galliarum & Germaniarum,
nec totius Italiae extentenda, sed ad solos Episcopos provincia-
rum Italiae reliquarum nec occupatarum à Longobardis re-
strin-

stringenda est. In Gallia enim & Germania jam jure hæredita-
rio sibi illam eligendi potestatem more prædecessorum usur-
pare potuit, jure victoria Longobardia suo regno affcita & in
Longobardorum Regum, qui eandem possederunt, jura cessit.
Nec opus erat, quod eam potentiam à Pontifice aut populo
Romano expectaret, quam non dare poterant, cum iis in Ger-
mania, Gallia & Italia Longobardorum regno subjectæ Epi-
scopatibus nullum jus erat.

§. XVII. Ad hæc; quamvis forsan videretur Carolum
M. ejusque successores investituras Episcoporum & Pontificis
non usurpasse, vel etiam iis renunciasse, suadentibus Donatio-
nis Ludovici tabulis, quas exhibent *Sigon. l. 4. de Ital. ad A. 817.*
Grat. Decret. d. 63. C. 30. Bar. ad A. 817. n. 10. & seqq. Verum, cum
Leo IV. qui septem à Ludovici obitu Cathedram conscendit,
Romanam licentiam Colonum consecrandi ab Imperatori-
bus Lothario & Ludovico Augustis petat, cujus verba *dist. 63.*
C. 16. Gratianus nobis conservavit, variantibusque codicillis
donationis Ludovici illa suspecta rejectaque ab *Ampliss. D. Con-*
ring. c. 7. tr. de Imp. Rom. p. 40. & Excell. Dn. Præside, Præceptore
nostro filiali submissione colendo in Coll. historico nuper ad finem
perducto in Auct. ad A. usq; Christi 850. §. 5. sit, verissimum illud
putamus, quod ex Codice Germanico sermone conscripto *Jo-*
hannis Königshovii Sacerdotis Argentinensis, quem Wenceslai
Caroli IV. filii tempore, cum ad eum historiam suam scripse-
rit, vixisse putat, affert *Johan-Joach. Frantz. in histor. Car. §. 24.*
Hadrianum sc. III. maxima vi annisum, ut illud jus Carolo conces-
sum elideret, cujus vigorem tamen non desisse, per centum amplius
annos Imperatores eum integrum conservasse.

§. XVIII. Nec hoc in loco prætereundum, quomodo
sefe delectet Baronius *ad A. 752. n. 8.* Pipino Regi Francorum
à Zacharia Pontifice nominationem Episcoporum in Regno
suo concessam, in cujus rei testimonium affert Lupi Ferrarien-
sis ad Amulum Archiepiscopum Lugdunensem epistolam, ,
gloriatum Reges Ecclesiis dare Episcopos non jure proprio, sed
concessione Apostolicæ sedis, quo nomine invehit in Politicos
Novatores Regibus Ecclesias subjicientes. Forfan & hæc ja-
ctata

Stata arrogans gloriola locum invenire videretur, etiamsi dictam concessionem Carolo factam veram esse evictum dederimus. Verum vana est Baronii jactantia, vana & esset, si presentia applicaretur. Cum enim jam antea illud jus sibi Carolus Martellus Parens Pipini, Carolomannus frater Majoris domus Franciæ usurpaverint, quis credat Pipinum illo jure caruisse, qui hæres Paterni Principatus, consorsque Fratris? Unde nullam potestatem aut jurisdictionem concessioni Papali fuisse adjunctam, sed eam tantum gratam & amicam fuisse approbationem Regii illius antiquâ consuetudine firmati juris, quam forsan Pipinus requisivit, ut obsequentiosem & paratiorum haberet populum in recipiendis ab eo constitutis Episcopis, si is idem Pontifici quoque Romano (cujus sedis tum magna apud omnes opinio) probari nosset. Nec Hadriani auctoritati acceptum ferendum, quod Carolus Patritius factus, sed communi Procerum consensui totique populo, cui libertas erat, sibi sumere Patritium; cujus jus erat eligendi Pontificem, ordinare Episcopos: quod liberè communi consensu Carolo deferunt. Quicquid Hadrianus præ aliis egit, tanquam Caput Civium fecit. Satis de Patritiatu Caroli.

Membrum VI.

De Carolo M. Imperatore Augusto proclamato.

I.

AUdivimus Carolo M. Patritiatum à Romano populo collatum, quæ teste *D. Arum. v. 1. disc. de Jur. publ. p. 294.* Imperatoris Majestati proxima dignitas. Nunc & ipsum Imperatorem Romanum dictum audiemus. Italia hæcenus pacata, luxuria effera, impatiens quietis, novis agitatur motibus; Hadriani necessarios ira contra Leonem, Hadriani successorem, acuebat, quod acta prædecessoris rescinderet, Paschalem Primicerium, & Campulum Sacellarium Principes civitatis pudor, quod Leo proprias vitæ sordes insisteret insectari, contra eum armabat. His facibus accensi criminibus eum gravant, tandem insidiis suis circum ventum sacris vestibibus exuunt,

OVONM

E

ocu-

oculos elidere, & linguam præcidere contendunt, vulneratum, sanguine madentem, ac semianimem in monasterium S. Erasmi arctæ custodiæ tradunt. Leo Albini cubicularii beneficio è carcere elapsus circumstantibus & frementibus inimicis à Duce Spoletano Vinigiso eripitur; Spoletum ducitur; mox ad Carolum M. mittitur; ad eundem accusationem suam detulerunt conjurati. Per Legatos Caroli Papa restituitur, in suspectos inquiritur, & rei inventi exilio mulctantur. Sequenti anno ipse Rex Carolus Romam venit; à Leone & Senatoribus urbis magnificentissimè totius populi lætis acclamationibus excipitur; advocato concilio Rex de criminibus Pontifici intentatis cognoscendum esse docet; evidenti documento, quod jus illi in urbem, & ipsum Pontificem, Patritiatus nomine fuerit collatum. Deficientibus in probando Accusatoribus, ad rogandas sententias descenditur; tunc, ad vindicandam Pontificis eminentiam, arrogans & impia vox prolata, illud Pontificiæ Tyrannidis mysterium promulgatum: *Pontificem à nemine judicari posse.* Rex sanctitatis opinione commotus, Pontificem juramento integritatem suam probare jubet: dictum factum; sic Leo absolvitur. *Vid. Ann. ad A. 798. & 800. Baron. ad A. 799. n. 2 - 8. A. 800. n. 3 - 5. Naocl. Chron. vol. 2. gener. 27. p. 677. Sig. l. 4. Ital. ad A. 799. & 800.*

§. II. Atque ita Carolum M. quinta vice præsentem, Romæ ipsis feriis natalitiis, adeoque finiente anno DCCC. Cæsarem Augustum proclamatum, apud omnes constat. Libet unius Anastasii verba ex vita Leonis in medium cum Excell. D. *Conring. ex tr. de Imp. Rom. c. 7.* adducere, quoniam ipsimet Baronio placuit unius illius verbis historiam hanc recensere. *Post hæc adveniente Die Natali Domini nostri Jesu Christi, in jam dicta Basilica B. Petri Apostoli omnes iterum congregati sunt, & tunc venerabilis, Almissicus Pontifex manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit eum. Tunc universi fideles Romani videntes tantam defensionem & dilectionem, quam erga sanctam Romanam Ecclesiam, & ejus vicarium habuit, unanimiter altisona voce, DEI nutu atq; B. Petri clavigeri regni cælorum, exclamaverunt: CAROLO PISSIMO, AUGUSTO, A DEO CORONATO, MAGNO,*

MAGNO, PACIFICO IMPERATORI VITA ET VICTORIA.

Ante sacram confessionem B. Petri Apostoli plures Sanctos invocantes ter dictum est, & ab omnibus constitutus est Imperator Romanorum.

§. III. Addas hisce quæ Baronius, Bellarminus, Sigonius, & alii Pontificiæ Majestatis assertores omiserunt, ut causæ suæ minus infervientia. Leonem scilicet Pontificem jam jam coronatum Carolum adoratione subjectissima excepisse: Post quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus sit, sunt verba *Annal. ad A. 801.* quæ agnoscunt *Aimon. l. 4. de Gest. Franc. c. 88. Abbas Ursp. Chron. p. 189.* Nec negligas, Carolum coronatione peracta graviter animadvertisse in nobiles Romanos, factionis contra Leonem Pontificem socios, quos secundum legem Romanorum, ut criminis læsæ majestatis reos, capite damnavit, damnatos intercessione Papali permotus exilio punivit. Eundem observes Romanæ urbis & Pontificis, totiusque Italiæ non tantum publicas, sed & Ecclesiasticas, & privatas res ordinasse; quæ referunt præter *Annales Franc. Aimois. Abbas Ursp. loc. cit. Sigon. l. 4. Ital. ad A. 801. p. 99.* Illa Adoratio Leonis Pontificem Imperatori subjectum docet; hæc jurisdictionem Caroli M. in Romanos, quos suæ ditionis subjectos constat ex *Lege, quæ ex Capit. Franc. à Grat. decret. 2. caus. 11. q. 1. c. 37. & Baron. ad A. 801. n. 12. & seq.* refertur, indicat; & in ipsam urbem Romanam, quam inter Metropolitanas urbes Carolini imperii numerat *Eginh. in vit. Car. recitans Caroli testamentum. Vid. Excell. Conring. in tr. de Rom. Imp. c. 7.*

§. IV. Hæc autem potestas Caroli M. in ipsam urbem & Pontificem, quamvis ad Carolum Patritium declaratum, ut præcedente membro §. 12. & 13. demonstratum, jam pertinuerit; titulo tamen Cæsareo splendidiore auctoritate munita major reddita est. Apud omnes enim Christianos ac moratiores gentes Cæsareum nomen præ Regio aliquam reverentiam merebat. Hinc & Carolini posteris, qui hoc nomine audierunt, licet alii cederent potentia & ætate, primum tamen citra controversiam locum obtinuerunt. Sanè quoque, ut major Imperatoria, quam Patritia auctoritas; ita hæc quoque electitia ab

§. X. Breviter dictum est, quid Imperatorio titulo Carolo Magno fuerit concessum; restat, quo jure facta translatio, & an sola auctoritate Pontificis. Historici, historiam de Carolo Imperatore declarato tradentes, verba nobis suggerant. Anastasius dicit: *ab Omnibus constitutus est Imperator; Annal. Franc. Otto Fris. l. 5. Ann. c. 31. Aimon. l. 4. de Gest. Franc. c. 88. Abbas Ursberg. Chr. p. 189. Cuspin. in vit. Car. cuncto Romanorum, populo acclamante, Naocl. v. 2. g. 27. p. 678. populi Romani consensu.* Urbs Romana credidit se liberam à jure Cæsaris Constantinopolitani, itaq; sui esse arbitrii, quem vellet Cæsarem creare. Ejus autem urbis Primarius civis tunc erat Pontifex, non Dominus; hinc neque unius Papæ, neque unius populi in potestate fuit Cæsaris creatio; ad utrumque pertinuit: quamvis quo major jam erat Pontificis auctoritas & dignitas, eò major in hoc actu ejus habenda ratio. Unde *Romani*, verba sunt Gemlacensis ad A. 801. *qui ab Imperatore Constantinopolitano jam diu animo desciverant: nunc accepta occasionis oportunitate, quia mulier excæcato Imperatore Constantino filio suo eis imperabat, uno omnium consensu Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumq; per manum Leonis Papæ coronant: Cæsarem & Augustum appellant.* Hoc est, quod *Platina in vit. Leon.* dicit id factum *populi Romani scitu ac precibus.* Vana proinde Hildebrandina jactantia, quam proponunt & defendunt *Baronius ad A. 800. n. 7. & seqq. & Bell. in pecul. libro de Transl. Imp.* quasi unius Pontificis, tanquam Vicarii DEI, omnipotentia omnia regna transferenda, quia & à Græcis ad Germanos transierit Imperium in magnifica persona Caroli. *Vid. Arnif. de Transl. Imper. per totum.*

§. XI. Vano sanè conatu à Pontificiis urgetur ad asserendam Papalem eminentiam in actu translationis Imperiorum Coronatio, manibus Pontificis facta. Illa enim nihil est nisi nuda ceremonia, conjuncta cum sacerdotali benedictione; neque qui coronat, & inungit, statim & confirmandi aut approbandi aliquod jus habet. Nam & alii Archiepiscopi & Episcopi Reges inunxerunt & coronârunt, nec tamen ex eo actu illis jus approbandi & nominandi Reges cessit. *Vid. D. Conring. in tr. de Imp. Roman. c. 13.* Ridiculum proinde quod adhuc

adhuc sibi Pontifices ex coronatione Imperatoris aliquid juris
in Cæsarem tribuant. Vid *Reink. de Reg. Sec. ac Eccl. lib. 1. cl. 3.*
c. 8. Limn. lib. 2. de Jur. Publ. c. 4. n. 52 - 86. D. Arniseus de Cler.
c. 7. n. 22.

§. XII. Pariter arrogans est ausus Pontificiorum, quo
gloriantur de juramento Caroli M. Pontifici præstito, idque
fidelitatis interpretantur. Nam apud Historicos seculi Caroli-
ni ejus nulla fit mentio: & fuit potius *juramentum protectionis*,
ut ex verbis juramenti à *Sig. l. 4. Ital. ad t. 801. & Bar. ad A. 801.*
n. 7. relati constat. Longe autem aliud juramentum protectio-
nis, quam fidelitatis; illud patrocini, hoc servitutis speciem
inducit. Vid. *D. Arnif. l. c. n. 34, 35. & Reink. loc. c. d. 2. c. 5.* Nec
putamus, Carolum M. sibi procurasse Imperatorium nomen,
ut placet *Sigon. l. 4. de Ital. ad A. 801.* quin potius *Eginhardo*, qui
actui ipsi solenni, quo Carolus Magnus Imperator Romanus
salutatus est, interfuisse videtur, credimus. Ille autem scribit:
Imperatoris & Augusti nomen accepit. Quod primo tantum aversa-
tus est, ut affirmaret, se eo die, quamvis præcipua solennitas esset,
Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis Consilium præscire
potuisset.

§. XIII. Jam maxima pars Italiae victoriis Longobar-
dicis jure belli Carolo M. cesserat; reliqua & ipsa urbs Roma
voluntaria subjectione Imperatorio titulo se ei subjecerat,
cum, quicquid juris Imperatoribus Constantinopolitanis su-
peresse videbatur, foederibus pactis Imperatorum concessione
ad Eum transfiret. Hoc est quod *Eginhardus* dicit: *Invidiam sus-*
cepti nominis Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indi-
gnantibus magna tulit patientia, vicitq; eorum contumaciam ma-
gnanimitate. Item Imperatores etiam Constantinopolitani *Nice-*
phorus, Michaël & Leo ultrò amicitiam & societatem ejus expeten-
tes, cum plures ad eum misere legatos, cum quibus tamen propter
susceptum à se Imperatoris nomen, & ob hoc quasi qui impe-
rium eis eripere vellet, valdè suspectum, fœdus firmissi-
mum statuit, ut nulla inter partes cujuslibet
scandali remaneret occasio.

Mem-

Membrum VII.

De Virtute bellica & Togata Caroli Magni.

I.

Cum duo sint, quibus omnis Respublica servatur, in hostes Fortitudo, & domi concordia: Utriusq; præclara in gestis Carolinis observare licebit. In bellis certè id egit, ut providendo, consultando prodesset. Hinc in publicis comitiis de bellis inchoandis deliberavit, & milites summo studio legit. Bella autem acta sequentia exhibebunt.

§. II. Longobardis victis, Ducatum Beneventanum Aragiso, Desiderii Regis genero: Forojuliensem Rodgando permisit, antiquo feudi jure sibi conservato, quo nomine Duces ut Vasalli domino se Ei fideles fore sub sacramenti formula promittebant, teste Sigon. l. 4. Ital. p. 90. Bojoariam Tassiloni Pipinus per beneficium, ut loquitur Ado in Chron. etat. 6. f. 179. tanquam feudum, dicente Avent. l. 3. Chron. Boj. p. 278. b. commiserat. Tassilo cum Primoribus gentis Pipino & filiis ejus fidelitatem sacramento promiserat, Annal. Franc. ad A. 757. Otto Fris. Chr. l. 5. c. 25. Abb. Urrsp. Chron. in Ann. Pipini fol. m. 172. memorantibus. Hi vasalli ut perfidis motibus Regnum turbarunt; ita potentem coercionem Caroli M. tremuli sunt experti. Rodgandus Italiam, insigni Longobardica victoria Caroli pacatam, proximis sollicitatis ad defectionem civitatibus magnis motibus implevit. Verùm à Carolo M. fuso fugatoque exercitu captus est, & tanquam seditionis auctor, sanguine luit, quod admiserat, *narrantibus Annal. Franc. ad A. 776. & Sig. l. 4. de Ital. ad A. d.* Pariter Aragisus, superbia elatus, prolatandæ ditionis cupiditate incensus, à Carolo M. fide defecit. Verum mox Caroli M. repentini adventus metu trepidans filios Ramoaldum & Grimoaldum obsides mittit, seque imperata facturum promittit; minorem natu obsidem Carolus suscipit, utilitati gentis magis consulens, quàm Aragisi pertinaciam frangere intendens. Vid. *Eginh. in vit. Car. Ann. ad A. 786. Sig. ad A. d.* Non dissimili perfidia Bojoariæ Dux Tassilo, à fide, quam non tantum Pipino Patri Caroli, sed & ipsi Carolo à Pontifice monitus Wormatiæ præsens datis XII. obsidi-

obsidibus, & filio Theodone, impetrare coactus est; denuò autem Hunnos contra Francos sollicitans in conventu Ingelheimensi criminis Majestatis inculpatur, noxius inventus capitis quidem damnatur, sed ad misericordiam Carolo permoto solitariae vitae mancipatur. Vid. Eginh. Ann. Franc. 787. Sigon. lib. 4. ad A. d.

§. III. Cæterum, Hunni in Bojoaria jam tribus vicibus victi fuerant & fugati; ex denegata Constantino Imperatori filia Caroli M. novis tumultibus in Italia exortis inter Græcos & Longobardos, hi fidem, illi virtutem Imperatoribus suis cum probare studerent, summo prælio certatum, & denique Græcorum exercitus fusus erat, docentibus Ann. Franc. ad A. 788. & Sig. ad A. d. Porro Carolus Velatabos ita contudit ac domuit, ut ulterius imperata facere minimè veniendum judicarent dicente Eginh. vid. Ann. Franc. ad A. 789. Hunnorum cum filio Pipino, Rege Italiae, vires animosis armis fregit. In quo bello per octo annos gesto tota Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia & congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Franci ditati & opibus aucti.

§. IV. Omnium bellorum gravissimum videtur Saxonicum, quod à Patre Avoque gestum Carolus repetiit: ejus autem annales facere nimis operosum videtur. Difficile enim dictu est, quoties superati ac supplices Regi se dederint, teste Eginhardo, cujus & verbis finem hujus belli designare libet: Carolum enim semper ultum fuisse eorum petulantiam scribit; donec — 10000. hominum, ex iis — transtulit, & huc atq; illuc per Galliam & Germaniam multimoda divisione distribuit, eaque conditione à Rege proposita, & ab illis suscepta tractum per tot annos bellum, constat esse finitum, ut abjecto Demonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Christianæ fidei atq; religionis sacramenta perciperent, & Francis aduniti, unus cum iis populus efficerentur. Quo nomine Excell. Dn. Conring. disputat. de Urbibus Germaniæ thes. 63. & seq. & in disput. de Civibus Germanicis thes. 25. præcunte Saxones libertate à Carolo donatos, & tanquam Francici Imperii cives assumptos esse, credimus: cum id ipsum Carolus M. testetur in privilegio, Bremensi Ecclesiæ dato, F quod

quod *Crantz. lib. 2. c. 15. Sax.* exhibet; ubi Saxones *pristinalli-
bertate donatos* dicit. Unde & Carolus in privilegio, Ecclesie
Osnaburgensi concessio, se *dominatorem Saxonum* scribit.
Illud autem, quod nonnulli tradunt, Carolum M. nonnullis
urbibus in Saxonia in signum libertatis statuam Rolandinam
dedisse, fabulae, quam veritati similis esse cum *Excell. Dn. Con-
ring. in disput. de Urbibus Germaniae th. 71. & 72.* notamus. Cum
illas urbes, quae eam ostentant, post Carolum M. demum con-
ditas esse, constet.

§. V. Hoc bellum justis de causis inceptum esse forsitan
quis dubitaret, quoniam religionis saltem causa inchoatum,
a nonnullis jaectatur. Verum alias causas hujus belli fuisse
deprehendimus. Testantur enim historiarum monumenta,
de ipsorum perfidia, de repetitis rebellionibus, variis irruptio-
nibus. Unde Eginhardus: *Suberant & cause, quae quotidie pa-
cem conturbare poterant, termini videlicet nostri, & illorum penes
ubiq; in plano contigui, praeter pauca loca, in quibus caedes, & rapi-
nae, & incendia vicissim fieri non cessabant. Quibus adeo Franci
sunt irritati, ut jam non vices reddere, sed apertum contra eos bel-
lum suscipere dignum judicarent.* Et Carolus ipse in supra ci-
tato privilegio Bremensi: *quos (sc. Saxones) a Progenitoribus
nostris ob suae pertinaciae perfidiam semper indomabiles, ipsiq; DEO
& nobis tam diu rebelles, quousq; illius, non nostra virtute ipsos &
bellis vicimus, & ad Baptismi gratiam, DEO annuente, perdu-
ximus.*

§. VI. Porro Carolus Magnus contra Saracenos bel-
lum gessit, quod fuse descripsit *Frantz. in Histor. Carol. §. 31. &
seqq.* Hoc est illud bellum virtute Rolandi, Caroli ex sorore
nepotis, cujus ensis Durenda ac tuba, corporisque magnitudo
miris Poetarum earminibus incluta, qui Ferracutum Gigan-
tem duello non tam viribus, quam arte prostravit, celebre.
Hoc est bellum clade, quam Christiani proditore Gannalone
a Saracenis perpeffi, atrox; morte virtuosi Rolandi triste; cu-
jus casus magnanimo Carolo hos lugubres expressit versus:
*Tu patriam repetis, sed in hoc nos orbe relinquis;
Te tenet aula nitens, nos lachrimosa dies.*

Sed

*Sed qui lustra geris octo binos super annos,
Ereptus terris iustus ad astra redis.*

Hoc est bellum cui tandem Beligandus, Saracenorum Rex prostratus, multa eorum millia trucidata & digna proditoris Gannalonis equis discerpti poena, Carolinaque victoria finem imposuerunt, ut *Frantz. loc. cit. ex manuscripto coauctore, Conrado, quem in tabulario suo Rempubl. Argentorateni, servare scribit, commemorat.*

§. VII. Præterea Britones Carolinis victoriosis armis coacti sunt. Vid. Eginh. Boemicum quoque & Livonicum bellum ductu Caroli junioris celeri fine completum est; Venetiarum Pipino, Rege Italiae, filio Caroli mortuo, foedere pacto finitur; Danico & ultimo ipse auctor Rex Danorum Gothofredus, à proprio satellite occisus, morte sua finem imposuit. Vid. *Frantz in hist. de Car. §. 74-79.*

§. VIII. Quam pari studio, nec minori cum prudentia togata, Carolus M. Imperium administraverit, & ipsa historia tradit. Cum enim maxima sit cura Religionis, *πρωτον ὃν ἡ περὶ Θεῶν Ἰπμέλεια Arst. 7. Pol. 8.* nihil sibi duxit antiquius, quam Religionem propagare, & ornare. Hinc non tantum ipse suo Exemplo cum Religioni addictissimus fuerit, subditos erudiebat; sed civitatibus Episcopos, qui populum in Religione erudirent, dabat, ut de tribus Spirensibus à Carolo M. electis testatur *Lehmannus in Chr. Spir. 13. c. 34.* Unde Hincmarus in Epistola ad Carolum M. à *Bar. ad A. 813. n. 22.* relata, Silvanectensis Ecclesiae Legatos à Carolo Magno liberam electionem Pastoris obtinere per Hincmarum voluisse tradit, & Visitatorem, qui Imperatoris nomine Electioni Pastoris adesset, petit. Sane laude & imitatione dignissimum est, quam provida sollicitudine Carolus Episcopos elegerit, & ne indignis honor conferretur, quantam curam gesserit. Hinc ob mores sacro ordine indignos, alios pastores à Carolo M. reprehensos, alios ab officio dejectos, dicunt Autores *Centur. Magd. cent. 8. c. 7. p. 516.* sic Adolescenti nobili Episcopatum contulerat; sed quoniam gratiis actis discedentem ante Palatium in equi sellam è terra infilientem viderat, revocatum, tanquam agilem, & ad bella

aptiorem, ad Episcopatum ineptum iudicavit, eique promissum Episcopatum alii tradidit, scribente *Nauch. v. 2. Chron. g. 28. p. 705.* Pariter alium altero statim die, postquam ei Episcopatum contulerat, deposuit, quoniam convivium instituerat, & vino somnoque sepultus officium suum neglexerat, ut narrat *Zingrefius in Apohpteg. Germ. p. m. 11.*

§. IX. Cum & Concilia habere, eaque convocare, sit Regum, ut ex historicis docet *Lehmannus lib. 2. Spir. c. 41. p. 167.* & illud Carolus M. non neglexit, sed quoniam Parens Pipinus binas singulis in annis synodus convocare instituit, in Concilio celebrato apud Palatium Vernis, ut *Baronius* memorat ad *A. 776. n. 6. & 7.* ipse singulis fere annis conventum habuit. Sic Wormatiæ anno 770. in Duria A. 775. Francofurti ad Moenum A. 794. in villa Theodonis A. 806. Aquisgrani A. 809. Moguntia A. 813. & aliis in locis Concilia convocavit, ut ex *Baron. ad A. cit. & Centur. Magd. cent. 8. c. 9. & cent. 9. c. 9.* videre licet. Quæ concilia sanè non auctoritate Pontificis, sed Caroli M. Imperatoris & Regis convocata & habitata esse, ex actis constat. Multis hæc tradere non laborabimus: sufficiant nobis verba Caroli M. in Epistola ad Elibandum de Concilio Francofurtano, quibus se Præsidem in Concilio fuisse ipse asserit, quæ & agnoscit *Baron. ad A. 794. n. 22. Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens congregationi Sacerdotum auditor & arbiter adsedi.* In quo Concilio & Iconolatrarum sententia, quamvis in Concilio, Niceæ à Pontifice Hadriano habito, asserta, oppugnata est, ut pluribus exhibetur in *Cent. Magd. 8. c. 9. vid. & Lehmann. in Chron. Spir. lib. 2. c. 41. p. 169.*

§. X. Præterea, se quoque ad alia Ecclesiastica cura Caroli M. extendit. De ejus enim ardore & fervore in Religione testentur populi devicti imprimis Saxones, quibus jure victoriæ cultum veri DEI imponebat; loquantur dejecta in Saxonia Idola Irmensul ad montem Martis Eresburgi; Krodo in arce Hartesborg, foemina Magdeburgensis, & Juppiter Hammon Hamburgi everfa & dejecta; si *Gmuntz. in Sax. l. 2. c. 12. & 16.* fides habenda: dicant Tempora exstructa, ornata; de Regia erga Ecclesias, & ejus ministros Episcopos munificentia, donatio

Italiae

Italiae facta Pontifici, Saxonia Episcopis tributaria data. Quanto studio tantum Ecclesiasticum emendaverit; quantum copiam sacerdotalium vestimentorum & ex argento & auro vasorum sacrorum procuraverit, docet *Eginhardus*.

§. XII. Cum jam dictum sit, Episcopis Saxoniam tributariam factam, forsan videretur Carolum M. Episcopis secularem potestatem, ut vult *Crantz. in Saxon. c. 23.* dedisse. Sed nulla fit secularis potestatis mentio in tabulis privilegiorum. Hinc errasse *Crantzius Magnifica, Nobilissima, & Amplissima, D. Georg-Adami Struven p. t. Rectoris & Professoris Juris in hac alma Salana famigeratissimi Excellentia* nuper in *Exercitatione Feudali in thes. 4. Explic.* annotavit. Rectius Otto Magnus, qui Brunoni fratri Archiepiscopo Coloniensi Ducatum Lotharingae cum jurisdictione politica concessit, Primus est secularis potestatis donator. Vid. *Lehm. Chr. Spir. l. 4. c. 3.*

§. XIII. Haec autem cura Ecclesiastica Carolina docet, illis temporibus, quamvis Auctoritas & Pontificis & Episcoporum maxima fuerit; omnem tamen curam circa Religionem nondum cessisse Pontifici & Episcopis, sed & ad Principes eandem pertinuisse. Unde & ipsi Episcopi hanc submitte agnoverunt, hinc Episcopi, in Concilio Turonensi Caroli M. jussu congregati, Articulos de disciplina Ecclesiastica ita concludunt. *Hac nos in conventu nostro ita ventilavimus: sed quomodo deinceps piissimo Principi de his agendum placebit, nos fideles ejus famuli libenti animo ad nutum & voluntatem ejus parati sumus. Pariter in Cabilonensi Synodo coacti his finiunt. Hac — Domini Imperatoris prudenti judicio presentanda annotavimus. In Arelatensi conventu praesentes haec suis statutis subjiciunt. Hac — Domino Imperatori presentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur: si quid secus, quam se ratio habet, ejus judicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio, divina opitulante Clementia, perficiatur. Vid. Cent. 9. hist. Eccl.*

§. XIV. Constat igitur nondum persuasum fuisse orbi, solis Pontificibus datam ferendarum Ecclesiis legum potestatem; quoniam & Carolus M. plurimas dedit. Vid. *Nobil.*

D. *Conring. in tract. de Origine Jur. Germ. c. 14.* Leges datas enarrare, nostrum non est: unicam notamus, quam B. *Gerhardus* in *Exeg. loc. loc. 1. §. 445. ex Legibus Ecclesiasticis Paris. Anno 1550.* excusis adducit; quâ *Carolus* statuit, ut *soli Canonici Bibliorum libri in Ecclesiis legerentur, neve Episcopi fragmenta hominum vel quidquam è suo sensu, sed purū Dei verbum predicent.* Quam legem *Caroli*, ut *Romana Ecclesia* tanquam potentissimi sui Protectoris & munificentissimi Patroni adhuc observaret, optandū esset.

§. XV. Hæc sunt, quæ breviter annotavimus de cura *Carolina* circa Religionem propagandam & ornandam. Addas à *Carolo M. Alcuini* consilio, *Parisiensem* fundatam *Academiam*.

§. XVI. Supra *Regum Francorum* ex familia *Mero-vingorum* inertiam, *Majorum Domus* potentiam, annotavimus; sed illa *Pipini & Caroli M.* temporibus desit, hæc fracta & intermorta ad ipsos *Reges* denuo translata est. Quam provida enim cura *Carolus M.* Imperium administraverit, dicant comitia ad illud formandum annuatim instituta. Quam sagaci prudentia omnia egerit, & agere voluerit, *Lex Salica Francorum, Leges Alemannorum, Bojoarorum, Longobardorum, Saxonum,* aut correctæ, aut scriptæ, aut auctæ doceant. Cum enim nosset, in legibus salutem *Reipublicæ* constitutam esse, & adverteret, multa legibus populi sui deesse, cogitavit, quæ deerant addere, & discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere; *Omniū nationum, quæ sub ejus ditione erant jura, quæ scripta non erant, describere ac literis mandari fecit,* teste *Eginh. vid. Exc. D. Conring. in tract. de Orig. Jur. Germ. c. 12-14.*

§. XVII. Auxit etiam, dicente *Eginhardo*, gloriam regni sui, quibusdam *Regibus*, ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis. Sic enim *Adelfonsum Galætiæ* atque *Asturicæ Regem*; *Scotorum Reges*, & *Aaronem, Regem Persarum*, sibi devinctos habuit. Eodem teste *Eginhardo* plurima opera ad regni decorem & utilitatem pertinentia inchoavit. Inter alia, ut à *Danubio* in *Rhenum* navigaretur, hominum labore effici posse persuasus, tantum opus aggressus est, sed frustra, cœlo ipso naturæ iram prodigiis ostendente. Vid. *Ann. ad*

A. 793.

A. 793. Optumè enim rebus mortalium consuluisse naturam, quæ
sua ora fluminibus, suos cursus atq; originem ita fines dederit, do-
cent Reatini! Velinum lacum obstrui recusantes apud Tacit.
Ann. 1. c. 79. Plura addere angustia chartæ prohibet. Vid. Egin-
hardum, Cuspinianum & Frantz in vit. Carol.

Membrum VII.

De Vita Caroli domestica.

I.

Nolumus omnia hic enarrare; tradit ea Eginhardus. Ob-
servamus tantum aliqua. Prima uxor fuit filia Desiderii,
quam Carolus hortatu matris duxerat teste *Aimon. lib. 4. c. 68.*
quam monitu Pontificis videtur repudiasse, quamvis ignora-
tam causam scribat *Eginhardus*. Quanto enim studio Ponti-
fex Stephanus illud matrimonium dissuasit, ex Epistola
à *Baron. ad A. 770. & seqq.* relata testatur, nec Carolum iis li-
teris permotum, ut repudium meditaretur, diffitetur *Cardi-
nalis n. 15.* Malè certè Pontifex jam contractum matrimonium
dissuasit, nec Carolus, excusari posse videtur.

§. II. Filia Desiderii repudiata Carolum duxisse aliam
de gente Suevorum, præcipuæ nobilitatis fœminam, testatur
Eginhardus. Quæ de Hildegardis hujus fortuna, exilio & re-
sarcito cum Carolo Conjugii fœdere narrantur, nota sunt,
expressit eam historiam comico stylo *Nicod. Frischlinus*, & fi-
dem historicam desiderantem ad *Annales Campidunenses in
commonitione ad Lectorem Comœdia in edit. A. 1589.* remittit;
eandem historiam tradit *Lehmannus in Chron. Spirens. lib. 3. c. 31.*
& ad *Crusium l. 11. part. 1. c. 2.* provocat. Certe ea fabulis fimi-
liora videntur; quoniam apud alios, qui de Carolo M. scri-
pserunt historicos, ne vestigium ejus deprehendere licet; in-
terea veterum Monasteriorum annalibus fidem omnem dero-
gari temere posse, non videtur.

§. III. Verior videtur ea historia, quæ de Caroli M.
filia Ima à *Lehmanno l. 3. Chron. Spir. c. 32. & Zingref. in Apoph. Germ.*

Germ. p. m. traditur. Illam scilicet, cum Eginhardum amato-
rem, ne furtivus amor cognosceretur, per vestigia nive arc-
am tegente, tergo exceptum portasset, à Carolo Patre, qui id
forte perspexerat, amatori adjudicatam, ne Imperatoria Maje-
stas facti crimine læsa, pœnæ rigore & fama magis læderetur.
Cum & se ipsum Parens causam fuisse judicaret, quoniam vi-
ro maturam filiam non despondisset. Videtur ipse Eginhar-
dus ad ea respexisse, quando dicit: *Quæ (filix) cum pulcherri-
mæ essent, ab eo plurimum diligenterur, mirum quod nullam earum
cuiquam aut suorum aut exterorum nuptum dare voluit. Ac
propter hoc, licet alias felix, adversæ fortune malignitatem exper-
tus est; quod tamen ita dissimulavit, ac si de eis nunquam alicujus
probri suspicio orta vel dispersa fuisset.*

§. IV. Infelicitatis domesticæ quoque fuit; quod Fra-
stradæ, quam mortua Hildegardi duxerat, crudelitate permo-
ti Franci Orientales contra Imperatorem conjuraverint:
quos prudentia Imperator auctoribus defectionis partim lu-
minibus orbatis, partim exilio mulctatis repressit. Nec præ-
tereundum insignitum illud malum domesticum, quod ipse
ejus filius Pipinus contra Patrem conjuraverit. Vid, *Eginh.*

Membrum ultimum.

De Caroli M. Testamento & Morte

I.

Cum non legiones, non classes, perinde firma imperii munimen-
ta, quàm numerum liberorum, ut loquitur Titus apud Ta-
citur *hystor. 4. c. 52.* Carolus sciret, liberis firmare suum impe-
rium statuit. Hinc *A. 806.* conventum habuit Imperator cum
Primoribus & Optimatibus Francorum de Pace constituenda,
& observanda inter filios suos, & divisione facienda in tres
partes, ut sciret unusquisque illorum, quam partem regere
deberet, si, Patre mortuo, superstitem esse contingeret. De
hac partitione & testamentum factum, & jurejurando ab O-
ptimatibus Francorum confirmatum. Hæc sunt verba *An-
nalsium*

nalium ad A. d. Testamentum habetur apud Baron. ad A. d. n. 18. & seqq. Anno 811. de rebus mobilibus Carolus testamentariam fecit dispositionem, quam descriptam Eginhardus vitæ Carolinæ subjunxit. Anno 813. *Extremo vite tempore, loquente Eginhardo, evocatum ad se Ludovicum Aquitanie Regem, qui solus filiorum Hildegardis supererat, congregatis solenniter de toto Regno Francorum Primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni & Imperialis nominis heredem constituit: impositoque capiti ejus diademate, Imperatorem & Augustum jussit appellari.*

§. II. Cum igitur, ut supra notatum, Francicum Regnum Electione; Imperatorius titulus hæreditario jure ad successores transfret, Ludovicum electum in Regem Francorum esse, cum *Lehmanno l. 2. Chron. Spir. c. 2. p. 59.* Imperatorem verò Romanum factum esse hæreditario jure cum Nobil. *D. Conringio c. 7. de Imp. Roman. p. 45.* adfirmamus. Quod innuere videntur verba Annalium citata, quibus Carolus M. dicitur, quod *cunctorum Primatum consilio sibi Ludovicum regni consortem, Imperialis autem nominis heredem, constituerit.* Quamvis enim in testamento Carolino Anno 806. facta nulla Imperii facta mentio; inde tamen colligere non licet, non fuisse Imperium in Caroli M. dispositione, sed illud ipsum Pontifici relictum esse, cui dare vellet, ut ad Annum dictum *Baronius* hariolatur. Diserta enim verba sunt testamenti hujus *à DEO conservandi Regni, vel Imperii nostri, heredes relinquere.*

§. III. Nunc ad mortem Caroli dignissimi Imperatoris pervenimus, quam evidentissima ostenta, crebra Lunæ Solisque deliquia, creber Aquisgranensis palatii, ubi degebat, tremor, fulmina, incendia & alia portenderunt. Febri enim correptus, accedente pleuritide, Anno Domini nostri DCCCXIV. septimo postquam decubuit die, sacra communione percepta, decessit: Anno ætatis suæ LXXII. & ex quo regnare ceperat XLVII. V. Cal. Febr. hora diei tertia scribente *Eginhardo.* Corpus solenni more lotum & curatum, & maximo totius populi planctu Ecclesiæ illatum atque in templo

G

magni-

magnificentissimo, quod ipse suis auspiciis exstruxerat, humanum est. Arcus teste *Eginbarde* super tumulum deauratus cum imagine & titulo exstructus, cujus hæc verba:

SUB, HOC, CONDITORIO, SITUM,
EST, CORPUS, KAROLI, MAGNI,
ATQVE, ORTHODOXI, IMPERA-
TORIS, QUI, REGNUM, FRANCO-
RUM, NOBILITER, AMPLIAVIT, ET
PER, ANNOS, XLVII, FOELICITER,
TENUIT, DECESSIT, SEPTUAGE-
NARIUS, ANNO, DOMINI, DCCC,
XIII, INDICATIONE, VII, V, CALEND,
FEBRUARII.

Hac sepulchralis tanti Herois tumuli ob-
signatione, & nostrum obfirmamus discursum.

SOLI DEO
GLORIA.

Errata extantiora B. L. corrigenda.

*Membr. I. §. 4. lin. 19. legatur Genium; §. 5. lin. 21. creare
§. 12. lin. 4. Carolum deleatur; Membr. II. lin. 5. Browero §. 3.
lin. 2. Broweri; §. 4. lin. 13. Carlsburgi; §. 5. lin. 5, 22. & 29. Carlsbur-
gum lin. 25. cap. 5. lin. 27. Galli. Membr. III. §. 2. lin. 1. Vaisario.*

Dum *Magnum* in vitam *Carolus*,
Schultete, reducis,
ejusq; gesta heroica,
ex variis prisca scriptis, æviq; recentis
collecta gnava industriâ,
dispositè vulgas, doctorum puncta mereris,
& fama te perpes manet.

Præstantissimo atq; eruditissimo Dn. M. Schul-
teto, ad finem atq; convictori per amico, dispu-
tationis hujus auctori, addere pauilla
hæc auctore dicitur & unâ felicissimos studio-
rum ulteriorum progressus apprecari vo-
lui

Philippus Horst Brunsvigâs
P. P. Facult. Phil. Senior.



Handwritten numbers in blue ink: 17, 17, 17

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.

Second block of faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page.


Third block of faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten number '17' in blue ink at the bottom left.

Handwritten number '17' in blue ink at the bottom center.



STO I



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



MAGNIFICO
NICODEMI
RDM
IÆ VICE PRÆ-
COLLEGII STATUS
M, IN EKA, BOO,
EN HEREDI.

TRONO SUO

icos fructus
devotione
consecrat

cus Schultetus, Autor
& Respondens.

